DAN. GEORG. MORHOFII DE PURA DICTIONE LATINA LIBER IO. LAUR...

Daniel Georg Morhof



DAN. GEORG. MORHOFII
DE
PVRA DICTIONE
LATINA
LIBER

IO. LAVR. MOSHEMIVS
TH. D. ET PP. O.
EDIDIT
ET NOTAS ADIECIT.



HANOVERAE
Impenſis NIC. FOERSTERI ET FIL.
M DCC XXV.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
ET DOMINO
VIRO PERILLVSTRI

CHRISTOPHORO

LIBERI ATQVE IMPERIALIS
COENOBII LVCCENSIS

ABBATI


MAGNI MAGNAE BRITANNIAE REGIS
A CONSILIIS PROVINCIAE
PRIMARIIS
STATVVM CALEMBERGICI DVCATVS

PRAESIDI


RELIQVA

PATRONO SVMMO

S. P. D.



IO. LAVR. MOSHEMIVS.



PAtere, *VIR REVERENDISSIME*, ut in *TVO* nomine appareat magni hominis libellus, quem, *TE* in primis auctore, quum orbus esset et exitio vicinus, fovendum et, si id addere liceat, ornandum suscepi. Aequum erat, ut in eius fidem et clientelam publice traderetur, cuius id auctoritati et voluntati debet, quod a sempiterna oblivione et silentio hominum vindicatus sit. Nihil dicam de incredibili, qua me peregrinum in his terris statim complexus es, benevolentia, quae certe publicum grati animi testimonium flagitavit: non merita *TVA* in eloquentiam et bonas litteras commemorabo, quorum magnitudine id ab omnibus *TVO* iure impetrasti, ut masculae, castae et ornatae dictionis principatum *TIBI* dudum detulerint. Novi, quod omni li-

cet laude cumulatus, nullos, quam virtutum TVARVM praecones, iniquius feras: et idcirco vereor, ne, si has instituti mei rationes esse dicam, favoris inde minus, quam indignationis, referam. Eam vero, quam attuli, caussam, vix improbare poteris, VIR MAGNE, quum id assumat, quod omnium consensione firmatum est, fructus nonnihil ad eum deferri debere, qui fundum mancipatum esse vetuit, nec beneficii auctorem apud eos, qui fruuntur illo, reticendum esse.

Sed si nullo alio, hoc tamen iure liber hic ad TE pertineret, VIR REVERENDISSIME, quod argumenti instar est, multis modis TE inferiorem esse, quem in locum TVVM suffectum hic esse voluit coelestis providentia. TV pari sollicitudine et felicitate, pari ingenio et solertia, sacram et humanam sapientiam, bene vivendi et bene loquendi disci-

disciplinam curasti, idem ad Theologiae et eloquentiae arcana mystagogus extitisti. Ego, dum ingenii exploro vires, non esse meum sentio, vestigia TVA legere, animumque alteram excutere curam intelligo. Itaque nunc sarcinas colligo, ex Latio et Graecia, quarum non nisi partem attigi exiguam, abitum paro; libellum hunc postremum amoris mei, quamvis parum vehementis, in meliores litteras documentum relinquo. Sacra me in posterum habebit unice sapientia: in hac quod vitae mihi reliquum est conteram: in huius amplexu moriar: hanc si aliquo modo assiduo labore illustravero, iuvenumque animis instillavero, equidem officium mihi videbor meum implesse, & personam, quam Deus mihi imposuit, satis decore sustinuisse. Igitur vel hoc nomine ad TE properabat liber hic,

quem ſcire fas eſt omnes provinciam tradidiſſe homini, qui ſe minus recte defungi poſſe putat munere, ſi pari TEcum modo ſe eo defungi poſſe duceret.

TV, VIR SVMME, qui, ut olim apud nos ſanctiores et humanas litteras, ita nunc rem ſacram et publicam ingenti ſtudio et labore tueris, patriaeque ſalutem et gloriam magno et invicto animo promoves, diu famae TVAE, laudibusque, diu IVLIAE TVAE, quam tenerrimo animi adfectu proſequeris, diu bonis omnibus, ſuperſtes eſto; Meum vero hoc TE publice compellandi, conſilium non temeritatem, ſed reverentiam et ſtudium interpretare. Quod ſi facies, ad maiora conandum me accendes, quemque TIBI dudum benevolentia devinxiſti, ſummo iterum devincies beneficio. Ita vale. Dabam in illuſtri IVLIA, Idib. Mart. A. M DCC XXV.

LECTO-

LECTORIBVS
S. P.

QVum eloquentiae ſtudia numquam, niſi ſegniter et ſupine, tractaverim, nunc vero, quam ſuſtineo, perſona longe aliam mihi curam imponat, requirent forte nonnulli, quid me commoverit, ut in edendo et illuſtrando libello nonnihil otii mei collocaverim, quem Grammaticus aut Rhetor ſibi meliori iure adſeruiſſet. Eis, antequam de ipſo diſſeram libro, quem nunc exire iubeo, ſatis eſſe faciendum opinor. Aliquot elapſi ſunt anni, quum exemplum eius manu exaratum dono mihi daret ex amicis aliquis, hac lege, ut, ſi quidem fieri poſſet, publici iuris

facerem. Recepi conditionem, ſed non unius generis negotiis et moleſtiis impeditus, diu propoſitum exſequi non potui. Sacro vero, quo nunc fungor, muneri praeter omnem opinionem meam admotus, dum chartas luſtro, minusque neceſſarias removeo, hoc MORHOFII opuſculum in manus incidit et promiſſi ſimul memoriam renovat. Neque tamen tum animus mihi erat, curare, ut continuo prodiret, eo quod occupationum mole non tam preſſum, quam prope obrutum me cernebam. At quum eius forte mentionem feciſſem apud virum laude mea maiorem, et MORHOFIANAE eruditionis cultorem eximium, is hortari non deſtitit, ut editionem maturarem, facileque auctoritate ſua permovit, ut horarum, quas ſeverioribus eripere poſſum meditationibus, nonnullas in hanc rem impenderem. Suffi-

cient

ent haec, ſpero, depellendis eorum ocibus, qui negotium me ſuſcepiſſe ortaſſis exiſtimabunt a rationibus neis valde alienum. Nunc de ipſo ibro, quae ſcitu mihi videbuntur neceſſaria, breviter monebo.

Aliquoties dum in vivis eſſet, *librum de pura dictione* promiſit vir numquam ſine laude nominandus et ſempiternum Cimbrorum decus, DAN. GEORG. MORHOFIVS; (a) eius etiam teſtati ſunt deſiderium viri eruditiſſimi. (b) Verum praematura mors magni hominis uti multis aliis, ita huic etiam eius conſilio intercesſit. Morti tamen vicinus, id quod non unus diſcipulorum eius mihi adfirmavit, ut quas de eo argumento relicturus eſſet chartas haeredes colligerent et cum omnibus communica-

ca-

(a) Libro de Patavin. Liviana et alias.
(b) vid. Acta Erud. A. 1684. p. 575.

carent, ſi non praecepit, certe permiſit. Hi itaque iam anno ſuperioris ſaeculi nonageſimo quarto librum hunc expectari a ſe iuſſerunt publice, ſed, neſcio quibus de cauſſis, ultra propoſitum haud proceſſerunt. Ego poſt tot annos quod illis facere non fuit integrum, tandem cum multorum, uti ſpero, commodo perficio.

Continet autem liber hic, praeter obſervationes alias haud paucas, nec plane nullius pretii, regulas et praecepta, quorum ope Latinarum literarum ſtudioſus ad rectam et veram eloquentiam, dictionisque caſtitatem pervenire queat. Itaque commode inſcribi potuiſſet: *Inſtitutiones Latinae linguae:* voce enim *purus*, id quod ex ipſo patet initio, ſignificatione latiſſima vir eximius utitur. Nobis minus iuſtum viſum fuit, quem libro ſuo dederat indicem auctor,

:or, reiicere et cum alio commutare. Cum his eloquentiae praeceptis, praeclaro inſtituto et laudabili, notitiam coniungit Criticam librorum et auctorum, ex quibus uberior rerum hauriri queat ſcientia; idque tanto facit apparatu et diligentia, ut vel hoc nomine opuſculum magnopere commendari mereatur. Neque fortaſſis multum a vero aberravero, ſi eos, quorum eſt iuventutem latinis erudire litteris, non male facturos eſſe dixero, ſi ad eius normam fidei ſuae commiſſos inſtituant. Habent hic materiam ſtudioſe congeſtam et diſpoſitam, quam expolire, emendare, et locupletare ſine magno labore poterunt.

Non tam ego rerum expers ſum, neque adeo veri negligens, ut vel mihi perſuadeam, vel aliis perſuadere cupiam, ad perfectionem proxime laborem hunc accedere. Fateor, ex eo

eo ſatis patere, quod ultimam parentis ſui manum haud ſenſerit: fateor, ab eo tempore, quo exaratus eſt, multa, quae ad hoc genus pertinent, a viris doctis ſcripta et excogitata eſſe, quorum hic veſtigia fruſtra quaeſiveris: fateor partem eorum, quae ad Hiſtoriam linguae Latinae litterariam, pertinent, in Polyhiſtore quoque expoſitam eſſe: fateor denique, purae dictionis leges non raro negligere eum, qui purae dictionis auctor aliis eſſe ſtudet. Verum haec omnia non prohibere contendo, quo minus uberem ex eius lectione fructum percipiant, qui his rebus delectantur. Naevos facile excuſabit praematurus viri egregii obitus, qui, ſi ipſemet hunc foetum edidiſſet, longe nobis alium exhibuiſſet. Ac licet quaedam hic extent ab aliis clarius aut eruditius enarrata, multa tamen admiſta ſunt, quae aliorum aut diligentiam aut atten-

ten-

ntionem effugerunt, multa quoque,
quibus nemo ingenium et memo-
am tentavit: qualia ſunt, quae de
riptoribus indicum, Grammaticis
t aliis copioſe et erudite docentur.
int et aliqua eorum, quae hic legun-
ur, in *Polyhiſtore* iam enarrata: ſunt
amen haec pauca et multo pauciora
llis, quorum nulla in *Polyhiſtore* re-
peritur memoria. Quamobrem ſup-
plementi inſtar ſpectari poterit hic
liber ad ea, quae parcius de rebus ad
eloquentiam Latinam pertinentibus
in *Polyhiſtore* diſſeruntur, aut peni-
tus omittuntur.

Quae vel illuſtrationis, vel emen-
dationis indigere iudicavi, ea in ſub-
iectis adnotationibus et illuſtravi et
emendavi. Si quis eſt, qui ſe maxi-
mi facere virtutes MORHOFIA-
NAS dicit, is me ſibi prorſus conſen-
tientem eſſe, ſciat. Verum hoc ſtu-
dium tantum haud apud me potuit,
ut

ut propterea nefas duxerim, ab opinione doctiſſimi viri diſcedere, aut committendum mihi eſſe crediderim, ut auctoritate eius in errorem minus cauti abriperentur. Sanctior mihi eſt veritas, quam ullius hominis memoria. Hinc inde quaedam addidi, quae poſt ſcriptum hunc librum inter eruditos geſta ſunt: locupletiora additamenta iis reliqui, ad quos harum rerum cura pertinet. Satis a me datum eſt his litteris, quas numquam ſerio et ex inſtituto colere potui. Nunc maiora me ſibi totum vendicant, grande in primis *ſacrarum antiquitatum opus*, cuius me prodromum mox eſſe daturum ſpero. Vale. Dabam in illuſtri Iulia d. XXVI. Martii MDCCXXV.

DAN.



DAN. GEORGII MORHOFII

DE

PVRA DICTIONE LATINA COMMENTATIO.

CAPVT I.

Quid ſit pura dictio?

§. I.

CVm de *pura dictione* acturi ſumus, praemitti debet, quid per *puram dictionem* proprie intelligamus. Neque enim ulla purae dictionis notio inſtitui poteſt, niſi certis quibusdam characteribus illa delineetur, et, collatione cum corrupto dicendi genere inſtituta, vera illa dictionis purae facies appareat. Vt enim ex comparatione cum deformibus inſtituta verus ille pulcritudinis ſplendor elucet: ita purae dictionis nullus ſenſus eſt, niſi diſtinguere puri et impuri ſermonis formas didicerimus. Quemadmodum coeci non recte iudicant

de coloribus: ii quorum manus ad ſtivam et ligonem occalluere, nunquam fides molliter tractare et ad harmoniam componere diſcent: ita qui ſordibus ſunt innutriti, elegantiam et nitorem puri ſermonis aegre comprehendent.

§. II.

Pura dictio ſi definienda eſt, eam dixeris: *quae ex uſu non ſolum populi, ſed et principum in populo inſtituta, ſenſus maxime proprios et perſpicuos oſtendit, verbis ſelectis bene inter ſe ordinatis conveſtita.*

§. III.

Ex eo apparet (a) puritatem dictionis triplici ratione eſſe conſiderandam. I. *Senſu*

(a) *Puritatem dictionis*) Vir doctiſſimus *purae dictionis* nomine quaslibet fere complectitur bonae eloquutionis, quam Rhetores vocant, virtutes. Qua in re quem veterum inter Latinos ſit imitatus, equidem me neſcire fateor. Id ſcio eos, quos mihi licuit inſpicere, arctiorem voci *purus* ſignificationem tribuere, quando de dicendi genere eam adhibent. Plerique eam ad verba tantum referunt, eamque orationem *puram* vocant, quae verbis conſtat Latinis, propriis & ad rem accommodatis. CICERO *de optimo genere Orator. Cap. II. p. 230. Nam quoniam,* inquit, *eloquentia conſtat ex verbis et ſententiis, perficiendum eſt, ut PVRE et EMENDATE loquentes, quod eſt Latine, verborum - - elegantiam perſequamur.* Conf.

su Grammatico. Voces enim esse debent propriae, selectae, bene inter se iunctae.

II. *Sen-*

Conf. *Epp. ad Attic. Lib. I. 10. p. m. 202.* Quamquam *purum dicendi genus* idem etiam nonnumquam est, quod *perspicuum et apertum.* CICERO *Oratore cap. XVI. p. m. 191. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi.* SVLPITIVS VICTOR in *Institut. Orator.* inter FRANC. PITHOEI *antiquos Rhetores Latinos* p. 246. *Non solum PVRVS et MANIFESTVS, verum etiam robustus et fortis, validusque sit sermo,* Forte hoc spectavit vir egregius, quod Latini *purum* illud vocare solent, cui nihil peregrini accessit ornamenti. vid. ADR. TVRNEBVS *Adversarior. Lib. XXIX. Cap. I. p. 632.* ed. *Aureliop. 1604.* Hodie *pura oratio* ea dicitur, quam nulla vox bonis auctoribus ignota contaminavit. vid. ex multis SCIOPPIVS *de stylo historico p. m. 46.* Sed viderint hac de re, quibus eloquentiae tutela commissa est. Ceterum egregie fecit MORHOFIVS, quod non Grammaticae aut Rhetoricae tantum rationem habendam esse bonae dictionis studioso praecepit, verum etiam Logices; secus ac hodie multi censent, quibus universam eloquentiam vocabulorum et nominum apparatu contineri persuasum est. Conferantur quae de perversa hac opinione haud ita pridem monui *Praef.* ad FOLIETAM *de usu et praest. Latini sermonis.* §. XII. p. 28. 29. Heri nata est haec haeresis, quam quot-

 quot

II. *Sensu Logico.* Ea enim debet esse orationis consequutio, quae perspicuitatis ideam menti obiiciat, quod aliter fieri non potest, nisi cum sententiae sententiis recte connexae modo quodam syllogistico se excipiant. III. *Sensu Rhetorico*, cum in integra oratione enthymemata recte ordinantur et elocutio talis adhibetur, quae sit ab omni perplexitate et catachresi, audacioribusque metaphoris alienissima. Haec enim omnia deformant orationem et aliquid impuri et heterogenei admiscent.

§. IV.

E tribus illis considerationibus inter se iunctis oritur illa idea *καθαρότητος* seu puritatis, (b) quam nobis format HERMOGE-

quot veterum eloquentiae praecepta reliquerunt, prorsus nesciunt.

(b) *Quam nobis format Hermogenes*) HERMOGENES, vir sine dubio ingeniosus, DEMOSTHENIS amore captus, eloquentiam eius sub certas revocare conatus est regulas, eaque profitetur se de formis orationis aperuisse, quae antea nemo, *Libro I. περι ιδεων cap. I. p. 241. ed. Laurentii.* Septem vero constituit formarum orationis genera, secus ac CICERO, qui tria dicendi genera, et QVINTILIANVS, qui quatuor commendaverat. Primum est σαφηνεια, *perspicuitas*, secundum μεγεθος, *magnitudo*, tertium καλλος, *pulchritudo*, quartum γοργότης, *celeritas*, quintum ἦθος, *morata*

GENES *Lib. I. de formis orationum cap. III. et IV.* Ille enim puritatem in abstracto, ut ita loquar, considerat, quatenus orationi competit, non tantum qua grammatice aut Latine ex usu populi instituta est, sed et qua a Rhetoribus illis coloribus ornatur, qui maxime simplicem cultum ostendunt. Quare omnes amplificatos dicendi modos, ut si quis genus speciei adiungat, totum parti, indefinitum finito, aut qualitatem rei, aut differentiam cum aliquo, aut

ta oratio, sextum αληθεια, *sinceritas*, septimum δεινοτης, *solertia*. cap. II. p. m. 243. Ex his σαφηνειαν, iterum dividit in καθαροτητα *puritatem* et ευκρινειαν, *perspicuitatem. cap. III. p. m. 255.* Quarum illam *capite III.* hanc *capite IV.* copiosius describit. Reliquas eius partitiones, quoniam ad eorum, quae MORHOFIVS hic memorat, illustrationem haud faciunt, omitto. Conferantur GASP. LAVRENTIVS *Comm. in Hermogenem* p. 126. s. FRANC. VAVASSOR *de ludicra dictione Sect. III. c. 1. p. 265. ed. Kappii.* ANDR. SCHOTTVS *Prolegom. in Photii Bibliothec.* p. 2. MORHOFIVS *de Patavinit. Liviana cap. VII. p. 526.* in Diss. iunctim editis. De ipso HERMOGENE eiusque fatis scriptisque satis ipse MORHOFIVS *Polyhistore Lib. VI. cap. I. p. m. 943.* et JO. ALB. FABRICIVS *Biblioth. Graec. Lib. IV. P. II. cap. XXXI. p. 428.* commentati sunt.

aut alia iſtiusmodi, ab hoc dicendi genere plane ſecludit, cum orationem circumductam faciant, quae contraria ſit puritati. Aſſumtionem quoque conſequentium, quibus narratio aliqua dilatatur, hinc abeſſe vult; ordinem non vult turbari, neque figuras miſceri, dictionem vult eſſe vulgatam, non translatam, neque ex ſe duram. Rectitudinis figuram vult tantum adhiberi, ab omni obliquitate abſtinere iubet, membra vult eſſe parva et conciſa, quae in ſe ſenſum vel ſententiam abſolvant, ſtructuram et compoſitionem ſimplicem, quae non multum ſollicita ſit de concurſu vocalium; numerum Oratorium non putat ſollicite exquirendum, ſed illum tantum requirit numerum, quali in quotidiano ſermone uti ſoleamus. Trochaeos et Jambos. Subnectit huic puritatis ideae ideam perſpicuitatis, (c) quae ab illa non mul-

(c) *Quae ab illa non multum differt*) Id ipſe non diffitetur HERMOGENES *Lib. I.* *περι ιδεων cap. IV. p. 266.* et *p. 271.* At in eo tamen *puram dictionem* differre exiſtimat *a perſpicua*, quod haec ea tollat et corrigat, quae *puro ſermoni* ex neceſſitate quadam adverſantur: *ἡ δ᾽ ἐι τι πασχοι ὑπεναντιον ἀυτῃ κατ᾽ αναγκην τινα -- διοϱθȣται ἡ ἐυκϱινεια.* Verſari vero eam praecipit circa methodum. Conf. CASP. LAVRENTIVS *Comm. ad h. l. p. 128.* Mihi

multum differt, ſed eam quaſi per ſe ſequitur. Semper enim puritatem comitatur perſpicuitas, ut vix opus ſit novo aliquo charactere.

§. V.

Nos quidem hoc in loco *puram dictionem* Latinam ea latitudine non accipiemus, ſed potius de prima illa acceptione ſolliciti erimus. Agemus enim de lingua Latina, quomodo illa ad normam aureae aetatis ſcriptorum formanda et quomodo ille orationis habitus conſtituendus, ne quid vel barbari vel inuſitati aures offendat. Quae quidem cura ad Grammaticos primo omnium pertinet, quod ad voces et phraſes attinet: ad Oratores vero, cum de ſelectu earum inſtituendo praecepta dantur: quae ubi obſervata recte fuerint, ſua ſponte conſequitur illa puritatis idea, quae ab HERMOGENE operoſis praeceptis inculcatur, quorum tamen in exemplis non iſte uſus eſt, quem quis forte requirit. (d) Verum enim eſt, quod nonnulli de HER-

Mihi non ſatis accurate rationes ſubduxiſſe videtur HERMOGENES, quum hanc excogitaret diſtinctionem. Quocirca MORHOFII iudicium probo, qui nos ea carere potuiſſe cenſet.

(d) *Verum enim eſt, quod nonnulli*) Quinam illi ſint, nunc quidem ignoro. At res ipſa quemlibet, qui HERMOGENEM diligenter inſpexerit,

HERMOGENE iudicant, illum contemplationibus obſtruſioribus nimium abripi, atque ita circa ideas ſuas philoſophari, ut ipſe vix ſatis vel ſua ipſius ſenſa exprimat, vel rem ipſam ita ob oculos ponat, ut eius uſus omnibus patere poſſit.

Capvt II.

De Characteribus externis puræ dictionis.

§. I.

Antequam ad veros illos puræ dictionis characteres accedamus, illos primum conſiderabimus, qui extra ipſam dictionem certo quodam modo dictionis puritatem determinant. Ex iis enim, tanquam externis ſignis, iudicari de

xerit, edocebit, in hunc in primis convenire, quae Auctor *Libr. ad Herennium Lib. I. c. I.* pulcre de Graecis obſervat oratoribus: *Illi ne parum multa ſciſſe viderentur, ea conquiſiverunt, quae nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu videretur.* Sed venia danda eſt homini, qui admodum iuvenis ſcribens, ſubtilitatis laudem potius, quam utilitatis ſpectaſſe videtur. Hinc vero evenit, quod multos quidem admiratores, paucos imitatores nactus ſit: quam rem ANDR. SCHOTTI verbis enarrare iuvabit. Qui poſtquam notaverat, PHOTIVM in κρισει ſingulis autoribus adiecta HER-

de dictionis puritate ſolet. Sunt vero illa ſigna externa *tempus* et *locus.*

§. II.

Quod ad primum, *tempus* ſcilicet, attinet, ſciendum eſt, eamdem eſſe linguarum conditionem, quae eſt omnium rerum, ut non, ſimulac natae ſunt, ſtatim ſint perfectae, ſed cum tempore excolantur, ut ſilveſtris illa ſcabrities, ſive voces ipſas, ſive vocum conſtructiones ſpectes, paullatim uſu civili atterantur, et molliorem aliquem habitum induant, non ſecus ac res naturales multis heterogeneis corporibus veſtitae paulatim ſive per naturam, ſive per artem in

HERMOGENIS legiſſe veſtigia, ita erudite pergit: *Quae* (methodus) *ut Ariſtotelea ac Tulliana longe ſubtilior eſt, ita admiratores quidem plurimos, ſed imitatores paucos hodie repperit. Praeter Dionyſium enim Halicarnaſſeum in Rhetoricis et Ulpianum Graecum Demoſthenis explanatorem quotus eam quisque hoc ſaeculo tractat? Trapezuntii olim talem Rhetoricam cum ſtupore vidit Italia: duos fortaſſe Germania numerarit Sturmium et Erythraeum: Gallia Iulium Scaligerum libris de Poëtica: Hiſpania unum literis cognitum laudare poteſt Petr. Ioannem Nunneſium, Rhetorem ac Philoſophum, editis Rhetoricorum libris IIII. Hermogenis quidem praeceptionibus, et Aphtonii ac Theonis, ſed Tullianis exemplis, Prolegom. ad Photii Biblioth. p. 2.*

in ſtatum puriorem evehi ſolent. (e) Quare non inepte quidem ut rerum publicarum, ita linguarum certas aetates conſtituunt,

(e) *Quare non inepte quidem)* Quum eruditi viri inter ſe conveniant, Linguae Latinae fata certis intervallis eſſe notanda, in duobus tamen diſſident. (I)Alii in denominandis his intervallis notiſſimam temporum diſtinctionem, quam Poëtis debemus, in *aureum*, *argenteum*, *aeneum*, *ferreum*, adhibuerunt. Quibus aetatibus SCIOPPIVS *ligneam* et *luteam*, ſine neceſſitate, ut opinor, addidit, *de ſtylo hiſtorico p. 46.* Alii vero, inter quos IVL. CAES. SCALIGER et GERH. IO. VOSSIVS eminent, vitae humanae ſimulacrum in hac lingua intueri ſibi viſi ſunt, ideoque *infantiam* eius, *iuventutem*, *virilem aetatem* et *ſenectutem* diſtinxerunt. Illorum non ſpernenda erit diſtinctio, ſi Latinos, qui ad nos pervenerunt, auctores, in certas diſtribuere claſſes velimus. Quos quidem ſi quis in *pueros*, *iuvenes*, *viros*, *ſenes* divideret, nullis placeret, niſi illis, qui rerum parum periti ſunt. Viciſſitudines autem et mutationes huius linguae omnes qui generalioribus quibusdam vocabulis complecti ſtatuunt, illi poſterioribus longe ſapientius ſe adiungent. Nam quum initio lingua haec, id quod ex multis conſtat monumentis, imperfecta, barbara, rudis et impolita fuerit, non erit certe, cur primam eius *aetatem auream* appellemus, quae aptiſſime *infantiae* nomine deſignabitur. Utraque igitur ſuo loco relinqui poterit et uſurpari diſtinctio. Prima in

tuunt, infantiam, pueritiam, virilem aetatem et senectutem. Iste enim rerum orbis ut in omnibus corporibus deprehenditur, ita et in illis, quae ab arbitrio et constitutione hominum dependent.

§. III.

---

in autorum veterum apta distributione, altera in ipsius linguae fatis et conversionibus explicandis; insigne praestabit commodum. (II) Neque huius, neque illius distinctionis patroni, in limitibus harum aetatum describendis inter se concordes sunt. Illi disputant, quinam scriptores ad auream, quinam ad argenteam, quinam ad aeneam referri debeant aetatem. Quam in rem quae SCIOPPIVS *de stylo historico p. 46. s.* et OLAVS BORRICHIVS *Cogitat. de variis Linguae Lat. aetatibus* monuerunt, exempli caussa contendi poterunt. Conf. Diss. nostra *de cultura et necessitate Latini serm. §. VI. p. 12.* Hi non modo v. c. ubi pueritia desinat, adolescentia incipiat, dimicant, verum etiam incerti sunt de multis vocibus, infantiaene, an pueritiae, an adolescentiae tempore in usu fuerint. Has compositum iri penitus controversias, nulla plane spes est. Neque id ulli mirum videbitur, qui tot veterum auctorum iacturam, ingeniorum et naturarum varietatem, rei denique ipsius indolem secum expenderit. vid. *Diss. iam laudata p. 13.* Nuper V. C. IO. NIC. FVNCCIVS Libros *de origine et pueritia Linguae Lat.* et *de adolescentia Linguae Lat. Marpurgi 1723. in 4.* edidit. In quibus quod carperet, facile non-

§. III.

Linguae Latinae infantia, ut omnium linguarum, in prima illa aetate inculta fuit, aspera, sylvestris, vocibus monosyllabis constans, ut in plerisque linguis, quibus deinde cultura accessit per terminationes, flexionesque nominum et verborum, usque dum obstetricia poëtarum manu, ut equus indomitus, frena mordere didicit, et certo quodam metro compingi, quod fundamentum est omnis illius elegantiae et concinnitatis, quae postea in oratione tam soluta, quam ligata regnare coepit. Ea enim methodo in omnibus paene linguis procedi solet, ut, quemadmodum in corporibus naturalibus, a simplicioribus progressus fiat ad mixta, composita et decomposita; qua in re, quod pauci fortassis credunt, (f) arcana quaedam etymologiae

nonnemo propter ea, quae diximus, invenire potuit. Unum addam. Utram harum distinctionum Linguae Latinae aetatum sequamur, haud tamen universam eius Historiam comprehendemus. Excluditur enim ab his partitionibus *restitutae Latinitatis Historia*, quae decimo quinto post natum Servatorem saeculo coepit.

(f) *Arcana quaedam etymologiae methodus*) Facile mihi persuaderi patior, nihil esse ineptius nonnullorum regulis, quibus linguarum, voca-

giae methodus reposita est, qua rectius in vocum origines inquiritur, quam ex ineptis Grammaticorum allusionibus, quibus

vocabulorumque origines investigare student. Neque id nego, qui ad primitivas voces, resectis additamentis, cuncta solent reducere vocabula, viam omnium tutissimam sequi. Eo vero minime adducor, ut credam, ita certam hanc esse rationem, ut nullus in ea errori locus sit. Nam ut taceam, incertum esse, an ex monosyllabis unice constiterint quum nascerentur primum linguae, ipsas etiam primitivas voces varie immutari quin everti potuisse, nullum dubium est. Quod ad linguam sigillatim Latinam adtinet, multos existimo modum, quem hic commendat Vir summus, origines eius investigandi prorsus repudiaturos esse. Pauci enim sunt, qui negent hodie, ex lingua Graeca maximam Latini sermonis partem ortam esse. vid. ex multis PAVL. MERVLA *Cosmograph. P. II. Lib. IV. cap. XVIII.* et ipse MORHOFIVS *de Patavin. Liviana cap. VI. p. 515. s.* in Diss. eius iunctim editis. Quod si ita se habet, non video, quemadmodum ad monosyllaba et voces simplices haec lingua revocari queat. Graeci etenim quum transirent in Italiam, haud dubie vocibus compositis dudum usi erant: nec qui tum Italiam incolebant populos tam rudes et incultos fuisse existimandum est, ut nullis nisi monosyllabis loquerentur vocibus. Horum itaque sermo Graecorum linguae permistus quum Latinam, ut eruditis-

bus tamen febriculosis commentis passim Grammaticorum libelli referti sunt, non vulgarium tantum, sed et eorum, qui primo haberi loco solent, qua veterum, qua recentiorum. Id enim certum est, in hunc diem nondum esse principia verae etymologiae detecta, quae non ab alliterationibus peregrinae linguae depromenda sunt, sed a primis illis vocibus primae aetatis, rudibus illis et sylvestribus, quae cum cognatis conferri linguis debent. Id consilium habuisse in animo videtur FRANCISCVS GVYETVS, vir doctissimus, Gallus, qui, ut in vita eius refert (g) PERIANDER, *Etymologicum Lexicon graecae linguae* prae manibus habuit, ubi vocum singularum primitiva fecit monosyllaba.

§. IV.

Antiquas illas voces Latinas collegerunt (h) LAVREMBERGIVS et LVBINVS in

ditissimi viri docuerunt, pepererit, quantum, quaeso, onus susciperet, qui simplices eius voces indagare et exhibere vellet?

(g) *PERIANDER)* ANTON. PERIANDER, qui vitam scripsit GVYETI, IO. ALB. POERTNERVS est, teste P. COLOMESIO *Bibl. Choisie* p. 434. Opp.

(h) *LAVREMBERGIVS)* IANI GVIL. LAVREMBERGII *Antiquarius* prodiit Lugd. Bat. 1622. in 4. Cui adiectae sunt veteres quaedam glos-

in *Antiquariis* suis, ex antiquis illis Poëtis, quorum fragmenta hodie supersunt, exaratis. Et fuerunt inter eruditos, qui data opera tales Orationes scripserunt, antiquissimo illo sermone concinnatas. (i) Fecit hoc MARIANGELVS ACCVRSIVS in Dialogo, qui inscribitur: *Osci et Volsci*, qui *Helmstadii* recusus est. JVL. CAES. SCALIGER in *Poëmatibus* suis, in *Libro Teretismatum* p.103. et IACOB. BALDE in *Dramate* suo *Osco*. Successu temporis cum victoriis Romanorum crevit lingua Latina et paulatim excoli coepit, quod testatur POLYBIVS, *Libro III.* In primis

glossae Graeco-Latinae ab HENR. STEPHANO editae. EILH. vero LVBINI eiusdem nominis liber iam *1594. Amstelod. in 8.* lucem vidit. Consulendae hic etiam erunt veteres illae, ut vocantur, *Glossae*, quibus multae continentur voces, quarum nullum in auctoribus vestigium occurrit: nec omittendus CHRIST. DAVMIVS *de caussis amissarum linguae Lat. radicum*, qui ingentem vocum eiusmodi apparatum conduxit.

(i) *Fecit hoc*) Addatur his PHILOXENI GONAEI, sive CASP. BARTHII, carmen, quod HENR. IVL. SCHEVRLIVS noster *Statuae mercuriali* addidit, ex eiusdem generis vocibus contextum. Composuit et FRID. TAVBMANNVS festivam ex eiusmodi vocabulis oratiunculam, *Diss. de lingua Latina* p. 56.

mis lectu iucundum est, quomodo e lapidibus et inscriptionibus veterum variationem linguae Latinae educat (k) OCTAV. BOLDONVS in sua *Epigraphia Lib. II. P. I. §. 7.* Alia nempe styli ratio fuit Catonis tempore et Ennii, alia Ciceronis, cui Julii Caesaris dictionem praeferre non veretur LEO ALLATIVS Libro *de erroribus magnorum virorum in dicendo cap. VIII.* et si recte memini, etiam (l) LVDOV. VIVES Libro *de caussis corruptarum disciplinarum.* Alia fuit tempore Caesarum, quae multum postea a barbarie peregrinorum traxit. Nunc quoque ipsa Romani imperii et eloquii umbra in scholarum

(k) OCTAV. BOLDONVS) De hoc alias MORHOFIVS *Polyhistoris Tom. I. Lib. VI. cap. III. p. 982.* ita censet: *Octavius Boldonus Epigraphicam scripsit, seu rationem elogia inscriptionesque pangendi, editam Augustae Perusiae 1660. fol. Spissus liber est et propemodum omnia Rhetorices praecepta nullo iudicio coacervat, variasque digressiones instituit parum ad rem ipsam facientes.*

(l) LVD. VIVES) Is, non in libris *de corruptis disciplinis* sed *de tradendis disciplinis Lib. III. p. m. 314.* et *Lib. IV. p. 349.* praeter CICERONIS epistolas CAESAREM quotidiano sermoni utilissimum esse docet, nusquam vero CICERONIS dicendi genus CAESARIS dictioni postponit.

larum umbris delitescit et ab eruditis fovetur, postquam civilis esse desiit.

§. V.

Elegans est illa PERRONII Cardinalis de linguis sententia, quae habetur (m) in eius *Excerptis.* *Linguae,* inquit, *incipiunt a necessitate et pereunt affectatione, quae in vitiosis metaphoris in primis consistit:* Quam ob caussam imminentem linguae Gallicae interitum minatur, (n) quod Metaphoris adeo delectetur. De lingua Latina, eiusque metaphoris sobriis et ad antiqui-

(m) *In eius Excerptis*) In *Perronianis* nempe voce *Langues* p. 222. ed. *Cologne 1694. in 12.* *Les langues commencent par la naivetè et se perdent par l'affectation et finissent par là.*

(n) *Quod metaphoris adeo delectetur.)* Postquam Galli linguam suam magis limare et expolire coeperunt, ab hoc vitio qui sapiunt inter eos discesserunt. At hodie alio morbo dictio eorum laborat, eo nimirum, quod *simplicitati* et *evidentiae*, quam merito prudentes inter summas orationis virtutes numerant, oppositum est. Plerique enim, qui ad eloquentiae laudem aspirant, tantum ingenio in compositione tribuunt, ut nullis, nisi qui ingenium ad lectionem adferunt, perspicui sint. Testis est nuperus, licet eruditus, HOVTTEVILLII commentarius, quo *religionem Christianam ex factis* probavit.

tiquitatis genium confictis adi FRANC. ROBORTELLVM in *Comment. ad Aristotel. Poëticam p. 262. Quod si,* inquit, *Ciceronis translationes et eorum, qui eadem aetate vixerunt, conferas cum illis, quibus usi fuerunt ii, qui postea scripsere, iam labefactata et corrupta Romanorum lingua ob infusam peregrinitatem, multum eas videas discrepare. Venustae illae sunt, pares ac convenientes rebus, notae, aptae, suaves, remque ob oculos ponunt quasi praesentem, hae horridae, obsoletae, a rebus ignotis ductae, dispares, etc.*

§. VI.

Id in primis hic notandum venit, quod et observavit FRANCISCVS VAVASSOR in libro (o) *de ludicra dictione* elegantissimo, solutam orationem Latinam degenerare prius et deficere ab optima, quam adstrictam; cum vero haec tardius nata sit, tardius quoque senescere: quod eam ob caussam fit, quia, sermo solutus cum sit in omnium ore, vulgi, principis, mulierum, virorum, poëtica contra paucorum existit et minorem usum habet, nec fere nisi ingeniosorum est, qui numeros orationis, tanquam lautas quasdam

(o) *De ludicra dictione)* Sect. II. cap. IV. p. 215. 216. ed. Cl. *Kappii.*

dam ſplendidasque veſtes, integras, quam diutiſſime poſſunt, retinent. Inde evenit ut, ex quo labi coepit Latinitas, (p) auctores ii, quorum utramque habemus orationem, verſibus multo magis, quam proſa excellant.

§. VII.

Notanda haec temporum differentia in primis eſt Criticis, auctores vel emendaturis, vel quodvis iudicium de Latinitate eorum laturis: quod praecipit inter alios FRANC. ROBORTELLVS *Libro de arte Critica*, (q) ubi plurima adducit exempla Criticorum, quorum multi errores in emen-

(p) *Auctores ii)* STATIVS nimirum, AVSONIVS, BOETHIVS, MARTIALIS et alii quidam.

(q) *Vbi plurima adducit)* Conſulatur etiam IO. CLERICVS *Artis Criticae P. III. Sect. I. cap. XIV.* p. 193. ſ. qui hic parcior tamen eſt, ac ſolet alias, et res poſtulare videbatur. Sed exempla hominum ubivis occurrunt, qui, quam in *Lexicis* non reperiunt, vocem minus eſſe probam temere credunt et ad emendationem confugiunt. Unius GODOFR. STEWECHII verba adſcribam *Electis ad Libr. V. Arnobii p. 385. Mirari deſine ſeu temeritatem ſive ineptiam eorum, qui ſuperioribus ſaeculis aliorum libros vel calamo ſcripſerunt, vel typis expreſſere: etenim nimis quam ſolens iis fuit, reperto vocabulo minus pervulgato, aliud ſta-*

 tim

emendandis auctoribus fuere, quod verb vetusti sermonis ignorarunt. Hinc etiai factum est, ut multa Latinae linguae pr maeva verba et radices plane memori se subduxerint atque in proprietate sign ficationum et originibus tradendis to lapsus Grammaticorum sint. Quae omni discussit (r) peculiari *Dissertatione de cau sis amissarum quarundam linguae Latina radicum, uti et multarum vocum derivata rum,* CHRISTIANVS DAVMIVS.

§. VIII.

Externum sermoni characterem ips quoque imprimit locus vel natalis ve adoptivus et ex eo linguae puritas vel or namentum aliquod trahit, vel detrimen tum. Non est illa res levis consideratio nis et abditas quasdam causas habet, s indagemus, quid in quaque gente lingu habeat, quod ab aliis sit distinctum, e qui

tim subdere, extrito priore, genuino licet. Con LVC. FRVTERIVS *Verisimilium Libro I cap. XIII.* p. 90. ed. *Dousae.*

(r) *Peculiari Dissertatione)* Eam FRID. BENED CARPZOVIVS possedit, plurimis ipsiu DAVMII adnotationibus locupletatam. *Bib Carpzoviana P. I. p. 461.* Edita est iterum IO. GEORG. GRAEVIO in *Syntagmate Di rariorum* p. 446 - 535. *Ultraj. 1702. 4.* vid. i primis *cap. XVIII. p. 481.*

quibus modis illae inter ſe differant. Apud Graecos in verborum compoſitionibus magna eſt licentia, a qua Romana abhorret ſeveritas et Hebraeorum, qui metaphoris abuti malunt, quam iſtis compoſitionibus. Quare Graeca et Latina lingua declinationibus, flexionibus caſuum, temporum, coniugationum utantur, ceterae linguae vero per praepoſitiones et verba auxiliaria rem expediant: quare Graeca lingua diphtongos alat, Latina non item, lingua Hiſpanica literas tenues oderit, easque ſtatim vertat in medias, linguae, quae ex Gothis flūxere, aſpiratis gaudeant, lingua Chinenſis accentu muſico in vocibus utatur, litterisque gutturalibus et quae per nares efferuntur, potiſſimum delectetur: quare varia ſit in variis gentibus vocalium pronuntiatio: aliter enim illas pronunciant Sueui, aliter Angli, aliter Galli; conſonantes inter ſe confundant Saxones et aliae nationes, non ſatis exploratum eſt. Haec vero et ſimilia, quae altas in ideis hominum et in organis quoque linguae radices fixas habent, occaſionem dant diverſis illis in linguis figurationibus. Ex pronuntiatione illa diverſa litterarum diverſa primo oritur ſcriptio, hinc diverſae voces, inde phraſes, dialecti, et ſi temporum diuturnitas acceſſerit, alius pene ſer-

B 3 mo.



mo. Proinde non inepti ſunt, qui vel e minutiſſimis pronuntiandi principiis ſtatim de populi genio, naturalique dictione coniecturas inſtituunt. Quae gentes in pronuntiatione vocales extollunt, tumido et grandi ſtylo delectantur, ut Hiſpani et Suevi, quae elevant vocales et tenui ſpiritu pronuntiant, ut molliorem linguam, ita molliores quoque affectus habent. Alacritas linguae et celeritas pronuntiationis diffuſam dictionem plerumque comitatur, qualem amant Galli et Belgae. (s) De *ingenii qualitatibus e pronuntia-*

(s) *De ingenii qualitatibus)* Addatur OLAVS BORRICHIVS erudita commentatione *de cauſis diverſitatis linguarum* et FRANC. BACO VERVLAMIVS *de augmentis ſcientiarum Libro VI. cap. I.* Noſter etiam MORHOFIVS quae hic breviter diſputat fuſius paullo perſequutus eſt *Libro de Patavin. Liviana cap. VIII. p. 537. ſ.* qui etiam *Polyhiſtoris Lib. I. cap. XII. p. 114.* hanc linguarum admirabilem varietatem ad id referre videtur, quod in eruditione et ſcientiis *divinum* eſt. In quo quidem, ſi per *divinum* id intelligit, quod difficile captu et ſingulare eſt, minime fallitur. Nihil enim certius eſt, quam gravem de hoc argumento quamlibet eſſe diſputationem, eo quod nulla proferri queat huius varietatis ratio, quae labefactari nequeat et infirmari. Sive coelum adeas, ſive ad temperaturam corporis confugias,

tiatione vide iudicium CASP. SCIOPPII in *consultatione de ratione studiorum*, CAMILLI BALDI in *Commentario super Physiognomiam Aristotelis* et in Tractatione *de epistolari divinatione*, SCIPION. CLARAMONTII in Libro *de coniectandis latentis animi affectibus*. Hinc nata est (t) styli distinctio in *Asiaticum* et *Atticum*, qui ex genio utriusque populi tale nomen adeptus est. Scilicet sermo eodem modo, quemadmodum soni musici, se habet, quem non eundem amant omnes gentes. Hinc nati modus Doricus, Aeolicus,

gias, sive mores et vitae genus considerari velis, sive victus et ciborum naturam spectare iubeas, sive migrationes gentium commemores sive alias afferas caussas, semper acutior quod opponat tibi reperiet. Itaque licet generatim de hac re nonnulla probabiliter disputari et moneri queant, nec illi laude sua privandi sint, qui ingenium in ea exercent, postremo tamen, ubi ad singula ventum erit, veterum illud: NON LIQVET, hic quoque valebit. Plura, ne longior sim, commemorare nolo.

(t) *Styli distinctio)* Cuius passim apud veteres extat mentio. vid. CICERO in *Bruto* cap. LXXXIII. p. 182. QVINTILIANVS *Instit. Orator*. L. XII. c. X. p. 746. CELSVS *de arte dicendi*, in Cel. HEVMANNI *Poeciles Tom. I. Lib. III. p. 381.*

cus, Phrygius, Lydius, quia gentes istae tali sono delectabantur.

§. IX.

Quod si Latinam linguam consideremus, illa etiam ratione locorum variat. Quemadmodum enim semper nitidior lingua est eo in loco, in quo negotia publica aguntur et ipsa res publica quasi habitat, quod fit propter genium illum civilitatis aulicae: ita populi circum habitantes agrestius quoddam dicendi genus sectantur. Sic lingua antiquitus (u) alia fuit *Roma-*

(u) *Alia fuit Romana)* Duplici modo haec distinctio potest intelligi, vel *ratione temporis*, vel *ratione loci*. *Tempus* si spectemus, is sermo *Latinus* dicetur, quo usi sunt antiquissimi Latii incolae. *Romanus* autem is, qui Romana republica iam condita floruit. *Locum* autem si consideremus hic, *Romana* vocabitur, quae in urbe *Roma* in usu erat, lingua; *Latina*, quam ii adhibebant, qui extra urbem *Romam* et in provinciis Latine loquebantur. Quum de *loco* hic vir eruditissimus agit, posteriori sensu quin partitionem hanc usurpaverit, nullum fere dubium est. Quamquam quem paullo post in confirmationem dictorum laudat, PETR. CRINITVS, aperte *temporis* in hac distinctione rationem habet. Apud veteres, nisi me fallit memoria, rara distinctionis huius occurrunt vestigia: potius *Latine loqui* idem est ipsis, ut ex CICERONE et

Romana, alia *Latina*: quod licet a nobis non adeo animadverti possit discrimen, fuit

et QVINTILIANO constat, quod emendate, pure et eleganter loqui. Sed hi tamen rem ipsam aliis sub nominibus admiserunt. Distinguebant illi nimirum sermonem *urbanum*, a sermone *peregrino* et *rustico*. *Urbanus* is erat, quo cogitationes illi efferebant, qui Romae degebant et aliquo erant numero: *Rusticus* eorum erat, qui in agro degebant; qui, quum in urbe lingua paullatim expoliretur, ut fit, rudem et antiquum veterum Italiae populorum sermonem magnam partem retinebant. *Peregrinum* denique dicendi genus tribuebatur illis, qui provincias habitabant. Eos etenim, quum Latinum adsciscerent sermonem, semper aliquid cum eo coniunxisse, quod vernaculo sermoni proprium erat, observatum fuit. Testem eorum, quae dixi, egregium CICERONIS locum dabo, *de Oratore Lib. III. cap. XII.* p. m. 139. *Quare quum sit quaedam certa vox ROMANI GENERIS, VRBISQVE PROPRIA, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit - - - hanc sequamur: neque solum RVSTICAM ASPERITATEM, sed etiam PEREGRINAM insolentiam fugere discamus.* Discrimen sermonis *urbani*, *peregrini*, et *rustici* hodie nobis post tot saecula extinctumque Latini sermonis usum accurate ostendere, haud integrum est. Et credo fore, ipsis Romanis, quoniam aurium potissimum iudicio differentiam hanc metiri fas erat, difficile demonstratu fuisse, quibus notis

fuit tamen veteribus notiſſimum. PETRVS CRINITVS *Lib. III. cap. III. de honeſta diſciplina* quatuor ſtatuit idiomatum Latinorum genera, *priſcum, Latinum, Romanum* et *mixtum*, VARRONIS auctoritatem ſequutus. *Latinum* idioma dicit, quod ſub Latino et Regibus Thuſciae in Latio loquebantur, *Romanum*, quod poſt exactos Reges in Romano populo obtinuit, cui accenſentur PLAVTVS, ENNIVS, etc. Idem *Lib. VIII. cap. III. eiusdem libri* ex colloquio cum PICO MIRANDVLANO habito egregia quaedam affert de differentia *Romani* et *Latini* ſermonis, ubi diſſerit de municipum et colonorum ſtylo Latino ab aliis gentibus, Hiſpanis, Gallis, etc. adoptato. Vide etiam ea de re diſſerentem POLYDORVM VERGILIVM *de rerum inventoribus Lib. I. c. III.* COELIVM RHODIGINVM *Antiquarum lection. Lib. XXIII. c. I.* (x) CLAVDIVM DVRETVM libro Gallico, qui inſcribitur: *Theſaurus Hiſtoriae linguar. a p. 764. ad p. 776.* Et fuit ſane lin-

notis haec dicenda genera inter te diſtinguerentur.

(x) *CLAVD. DVRETVM)* Index libri eſt: *Threſor de l'Hiſtoire des langues de cet univers* et prodiit *Coloniae 1613. in 4.*

lingua Latina ex variis mista, donec tandem in unicam quasi coaluerit, antiquis abolitis et Romana succedente. De quarum omnium discrimine nemo explicatius scripsit, quam PAVLVS MERVLA *Cosmographiae P. II. Lib. IV. cap. XVIII.* ubi etiam addit quomodo hodie dialectis inter se differat lingua Italica, quod et confirmatur in *Excerptis Scaligerianis*, ubi sub voce *Italia* habetur, quod pene singulis diebus in Italia iter facienti mutentur linguae et quaedam vocabula. Elegantissime autem omnium ea de re differit MERVLA l. c.

§. X.

Huc pertinet illa LIVIO ab ASINIO POLLIONE obiecta *Patavinitas*, qua nihil aliud intellexit, quam modos loquendi Patavinos a LIVIO usurpatos. (y) Qui qui-

(y) *Qui quidem ea in re)* Ego vero id incertum esse iudico, num ASINIVS POLLIO iure, an secus, Patavinos loquendi modos LIVIO exprobraverit? Potuit ille aetate sua scire, quidnam inter urbanam et Patavinam dictionem interesset: nobis vero id hodie nullo modo explorare licet. Interea stolidum fuisse hominem facile largior, qui id vitio dederit florentissimo scriptori, quod omni fortassis vitio caruit: neque maledicentiorem ASINIO, quum viveret, quemquam extitisse, ignoro.

quidem ea in re maledicus fuit, neque hoc suo iudicio audiendus est: qua de re nos pluribus egimus integro libro *de Patavinitate Liviana.* Ita fuerunt, qui VIRGILIO *Mantuanitatem* inesse, observasse sibi visi sunt, quod de ASINIO POLLIONE eodem (z) memorat SCALIGER *Poëtices Lib. IV. cap. XVII.* (a) FRANC. vero FLORIDVS illud HIERONYMO iudicium tribuit, et ex eo censor VERDIERIVS idem producit in *Censione scriptorum p. 50.* Ex eo enim dicit HIERONYMVM deprehendisse VIRGILII *Mantuanitatem*, quod *sceleratum frigus* dixerit, eoque epitheto saepius utatur: de qua *Mantuanitate* videndus ERYTHRAEVS in *indice Virgiliano* verbo: *Sceleratum limen.* In QVINTILIANO FRANC. PHI-

(z) *Memorat Scaliger*) Verba loc. laudato p. 442. ed. *Heidelb. 1607. 8.* haec sunt: *Pollio sibi solus Romane vel loqui, vel scribere visus est, cui Livius olet Patavinitatem, Virgilius Mantuanitatem, Ciceronis dictio parum sapit.*

(a) *Franc. vero Floridus) Apologia in Accii Plauti et aliorum Linguae Latinae auctorum calumniatores* libro cultissimo, qui *Basileae 1540. fol.* prodiit. Unde vero FLORIDVS hoc de HIERONYMO hauserit, viderint alii. Ego non sine cura evolutis HIERONYMO operibus, nihil eius rei in illis reperi.

PHILELPHVS (b) *Hispanitatem* notavit: et obiicitur idem SENECAE TRAGICO, (c) de quo inepte admodum iudicat LIPSIVS, reclamante omnino SCALIGERO, qui et in *Hypercritico* suo et in *Excerptis* a fratribus PVTEANIS editis vehementer eam ob causam illum reprehendit, ut imperitum rei Poëticae iudicem. Ita Cordubae nati Poëtae (d) *pingue quoddam et peregrinum sonuere* CICERO-

(b) *Hispanitatem*) Erat enim Calaguri, oppido Hispaniae, natus. Non vero universe PHILELPHVS *de Quintiliano ep. ad Ioh. Tuscanellam* ita censuit, verum *de longioribus*, quae QVINTILIANO solent tribui, *declamationibus: Orationis*, inquit, *eius filum mihi sane non placet, sapit enim Hispanitatem nescio quam, hoc est barbariem plane quandam.* vid. *Epistolare*, ut vocatur, FRANC. PHILELPHI *Lib. III. p. LI.* ed. *Venet. 1491. in 4.*

(c) *De quo inepte admodum)* LIPSII reprehensio SENECAE addita est editionibus auctoris huius, quae LIPSII *Notas* habent adiectas. Ceterum fallitur hic Vir Summus, ex memoria scribens, SCALIGERVM in *Hypercritico*, qui *Liber VI.* est *Poëtices* eius, LIPSIVM ob censuram hanc notasse. Laudat SCALIGER vehementer SENECAM *cap. VI. p. m. 773. 774.* At LIPSII nulla ibi extat memoria.

(d) *Pingue quoddam)* Oratione pro Archia c. X. p. m. 293. T. II. Opp.

CERONI: quin et ipse CICERO aliquid e patria Arpino trahere sciolis nonnullis visus est. NICOLAVS HEINSIVS in *Claudiano Alexandrinam aliquam facundiam* notavit. De cetero nemo inter veteres adeo felix fuit, quin illi quaedam fuerint obiecta, ut prolixe recenset LEO ALLATIVS in libro *de erroribus magnorum virorum in dicendo. Romae 1635.* edito.

§. XI.

Populus exoticus linguam sibi peregrinam ad naturalem styli genium semper format, (e) unde fit, quod linguae Latinae stylus, qui nulli populo nativus est, varias adeo facies induat, ut semper aliquid de idiotismo gentis trahat. Quod et in Latina lingua factum est, quum illa ad Gallos, Britannos, Hispanos, Afros propagaretur. Numquam enim ista puritas

(e) *Unde fit)* Legendum hac de re pulcrum et elegans FRANC. VAVASSORIS iudicium *Libro de Epigrammate cap. XV.* Addatur IO. CLERICVS *Artis Criticae P. II. Sect. I. Cap. II. p. 137.* qui *Latine cogitandum esse*, praeclare monet, *ut linguae illius vim et genium scribendo exprimere discamus.* Nec male faciet, qui GVIL. BVDAEI *Graecae Linguae comm.* p. 1290. s. ed. *Basil. 1530. fol.* consulet.

ritas in illis linguarum coloniis deprehensa est: unde postea successu temporis coalescente cum illa vernacula lingua, linguae illae, quae nunc in usu sunt, exortae. De quo vide eleganter differentem MERVLAM in *Cosmographia P. II. Lib. IV. cap. XVIII.* in fine, et (f) BERNH. ALDRETE, Hispanum, in libro Hispanice

(f) *Bernh. Aldrete)* Idem in alio libro, quem inscripsit: *Varias Antiquedades de Espanna, Africa y otras provincias Antwerp. 1614. in* 4. multorum vocabulorum Hispannicorum origines explorat. Uterque liber rarissimus et praestanti eruditione refertus. Itaque praeclare is de litteris elegantioribus promereretur, qui Latinam utriusque versionem conficeret. Mihi non ita pridem id consilii fuit, quum rogatu et hortatu summorum virorum *Antiquitatum Hispanicarum Thesaurum*, sive collectionem scriptorum, qui Antiquitates illustrarunt Hispaniae, meditarer. Jamque multa non modo in hanc rem conquisiveram, verum etiam mercator librarius inter Belgas notissimus magni operis curam lubens susceperat. Nunc postquam alia me curare iussit supremum Numen, hoc quidquid est conatus aliis relinquo me liberioribus. Haec ideo, occasione data, notare visum est, ne secus intelligantur, quae *Bibl. Germanicae* auctores *T. VI. p. 238.* nuper prodiderunt, me, *Antiquit. Italicis* absolutis, *Hispanicas* fovendas suscepisse.

ce ſcripto: *Del origen y principio de la langua Caſtellana o Romana que ſe uſa es Eſpaña,* libro toto, et in primis *Lib. II. cap. VII. VIII. IX.* Conferatur RICCARTVS in *Celtopaedia*, ubi et agit de vetere lingua Gallica et coalitione eius cum Latina. Hinc etiam fit, quod ſaepiſſime deprehendamus apud eruditos etiam noſtri ſaeculi phraſes quasdam ab idiotiſmis linguae vernaculae tractas. Quare magnam merentur laudem, qui illas diligenter notarunt et ubi ſine vitio ſint, oſtenderunt: quod fecit in Gallica lingua HENR. STEPHANVS Libro *de Latina lingua falſo ſuſpecta* et in Germanica VORSTIVS *libro eiusdem tituli.*

§. XII.

Dictionis Latinae et purae, qualem linguae genius requirit, decus feliciſſime Itali et Germani expreſſerunt. Et in Italia quidem praeter naturalem inclinationem inſignis ille cultus id efficere videtur. Teſte enim SCIOPPIO *Libro de ſtylo hiſtor. p. 57.* nihil non faciunt, ut evitent omnia, unde aliquod contaminandae orationis periculum oſtenditur. Latine nunquam loquuntur familiariter, ne eius uſus ad inſtar torrentis lutulentus fluat.

(g) Qua-

(g) Quare de PAVLO MANVTIO testis est SCIOPPIVS, illum vix tria verba Latina

(g) *Quare de Paulo*) Simile exemplum PETRI MAFFEI, Iesuitae disertissimi, eo loco SCIOPPIVS p. 70. adfert, qui, quum elegantissime scriberet, non eo potuit adduci, ut Latine responderet. Sunt etiam alii, qui nominari possent in hanc rem. Ego, ut de meo sensu fatear, aegre mihi persuadeo, homines hos, qui Latine cum aliis loqui noluerunt, id ideo fecisse, ne dictioni labem quamdam contraherent. Namque extiterunt innumeri, qui, licet a quotidiano sermonis Latini usu haud abhorrerent, venustissime scripserunt: nec eorum plurima desunt exempla, qui exercitatione utramque et scribendi, et loquendi elegantiam consequuti sunt: quod quidem non ita difficile esse, quilibet intelliget, qui vim consuetudinis secum consideraverit. Mitto inquinatae dictionis et inquinati sermonis non eam esse affinitatem, ut qui minus eleganter verba facit, corrupte etiam et barbare necessario scribat. Quod etenim in quotidiano sermone fieri nequit, ut ad amussim castitatis Romanae cuncta revocentur, id commode potest fieri, quum in litteras aliquid referendum est. Habuisse ergo alias causas moris sui quos indicavimus, viri docti existimo, hunc fortassis gloriae studium, illum linguae impeditioris vitium. Metuebant alii, ne, qui eos minus polite loquentes audirent, exiguam de eruditione eorum existimationem conciperent, alii balbutientium videri nolebant similes. Est

na proferre potuisse, ut Germani cum eo loquentes vehementer prae se illum contemserint, cum tamen nemo ad puritatem et elegantiam CICERONIS propius accesserit. Idem testatur HENR. STEPHANI in *Praef. Libri de Latinitate falso suspecta*, in qua consilium IOACH. FORTII examinat, suadentis, dedita opera loquendum esse incomposite, etiamsi natura facundus sis, quod fieri plerumque soleat, eos qui loquuntur accurate, minus erudite scribere.

§. XIII.

Extulit praeter MANVTIVM superior aetas insignes viros, e. c. MVRETVM, cuius stylum vehementer laudat SCALIGER in *Excerptis*, (h) aliique complures: à quibus tamen longe absunt LONGOLIVS, BEMBVS, aliique vulgo *Ciceroniani*

etenim genus quoddam hominum, quod quum satis apte patrio loquatur sermone, peregrinum vix ac ne vix quidem, licet probe alioquin sibi notum, ore versat.

(h) *Aliique complures)* Inter quos merito commemoratur acerrimus ille Latinitatis censor, SCIOPPIVS, qui MVRETVM *de stylo histor. p. 64. s.* copiose laudavit. Et hic ipse tamen MVRETVS *Notis ad Senecam* p. 383. in eos libere invehitur, qui nullam vocem, nisi Ciceronianam, probabant.

ni dicti, (i) quorum inepta imitandi CICERONEM ratio non admisit solidam et masculam eloquentiam. In hos passim ab eruditis declamatur ERASMO et RAMO in *Ciceroniano* suo. Sed ERASMVM (k) SCALIGER duabus orationibus refutavit, scripto acerbissimo, cuius tamen poenitentia postea ductus est, teste filio, IOSEPHO SCALIGERO in *Excerptis*, qui exemplaria omnia, ne amplius extarent, coëmta hominum memoriae extorsit.

§. XIV.

(i) *Quorum inepta imitandi)* Dixi de ea fusius *Diss. de cultura et necess. Latini sermonis* §. X. p. 24. f.

(k) *Scaliger duabus orationibus)* Quas *Eloquentiae Romanae vindices* appellat. MELCH. ADAMI, vir de Historia eruditorum optime promeritus, eas Notis suis illustratas denuo formis describi curavit, *Francof. 1617. in 8.* Poenituit postea SCALIGERVM, id quod hic etiam notatur, facti, quod invidendo elogio in ERASMI mortem scripto deinceps expiare voluit. Optime ceterum de *Ciceroniano Erasmi* iudicavit IVLIVS PFLVG *epist. ad Menzerum* 1528. Decembri mense data, quae in *Monumentis Palatinis* extat *Tom. II. p. 36. 37. 38.* Scripsit etiam STEPH. DOLETVS *Dialogum* contra *Ciceronianum Erasmi*, quem SCALIGER sibi omnia suffuratum esse alicuius momenti acerbe conqueritur. *ep. XIV. p. 35.*

§. XIV.

(l) Germani non pauci fuerunt purae illius et tersae Latinae linguae propagatores, adeo ut ipsi Itali nonnumquam conquerantur, palmam ab illis sibi praeripi. Fuit quoque (m) non contemnendus eloquentiae instaurator, PHIL. MELANTHON, sic satis quidem ille purus, sed propter rerum curam aliquando negligentior et abiectior. Fuit tamen eius scribendi ratio tum temporis quasi pro regula habita et Philippici styli passim iactatio. De quo vide TAVBMANNVM *Dissert. de Lingua Latina.* Belgae plurimi purum quidem, sed tamen argutum malunt dicen-

(l) *Germani non pauci*) Hic conferri debent omnino viri præstantissimi, IAC. BVRCKARDI, *de linguae Latinae in Germania fatis commentarii.*

(m) *Non contemnendus eloq. instaurator)* Id quod ipsi non audent inficiari, qui Germanorum nomini non nimis alioquin favent. RICH. SIMONIVS *Bibl. Choisie T. I. c. XXXI. p.* 477. 478. inter alios ad lectionem *declamationum* MELANTHONIS bonae dictionis studiosos adhortatur. *Car il etoit*, ita pergit, *et Philosophe et Orateur. De plus il etoit beaucoup exercé dans la lecture des Livres de Ciceron, dont il a imité le style. En quoi il ne cede gueres aux Italiens les plus polis.*

cendi genus, (n) nec facile quenquam invenias, qui lacteam illam Romanam et numerosam eloquentiam exprimat.

§. XV.

Galli non infeliciter scribunt, fuitque inter primos BVNELLVS, qui ipsi MANVTIO viam ad puriorem eloquentiam ostendit. Eius paucae sunt *epistolae*, quae et seorsim editae sunt et una cum *epistolis* MANVTII in editione illa Parisiensi, quam HENR. STEPHANI publicavit. De eo ita MANVTIVS: *Ille cum Erasmis et Politianis misere errantem in viam reduxit.* Quo iudicio simul ostendit, multum deesse ERASMO et POLITIANO in puritate linguae Latinae. Et sunt alii quoque, qui ERASMVM vocant inter Germanos Latinum et inter Latinos Germanum. Qui quanquam non omnino e vero iudicant, negari tamen nequit, ERASMVM in minutiis illis purioris linguae negligentiorem fuisse, quem defectum tamen abunde compensavit mira illa ingenii festivitas et viva

(n) *Nec facile quenquam)* At hodie tamen PETRVS BVRMANNVS in primis, vir in Latinis litteris facile princeps, priscum illud Latini sermonis decus, veteremque nitorem feliciter prorsus refert, nec ulli cedit eorum, qui masculam veterum eloquentiam imitati sunt.

rerum expressio, quae interdum magis delectat lectores, quam superstitiosa illa linguae purioris cura, si rerum cura defecerit. BVDAEVS, qui inter Gallos principem suo tempore locum obtinuit, in dictione Latina ab Italis vehementer discrepat. (o) Mire enim in phrasibus affectandis sollicitus est, numeroque et membrorum consequutione utitur, quae a Latinis auribus aliena est. (p) Fuit illi aliquando contentio

(o) *Mire enim in phrasibus)* Multisque praeterea vocibus aut vocum significationibus utitur, quas boni auctores ignorant: id quod, si id institutum pateretur, vel ex eius ad *Librum de Asse praefatione* docere possem. Non factus erat BVDAEVS ad eloquentiam natura, quoniam ingenio carebat, quo ERASMVS abundabat. De labore, diligentia et doctrina nemini concedebat aequalium vir profecto summus, nec facile saecula BVDAEVM nobis referent. At his omnibus abunde aliquis instructus esse potest, neque tamen dictionis amoenitate et nitore reliquis praestare. Ceterum CICERONIS imitatores acriter perstringit BVDAEVS *Comm. Graec. linguae p. m. 1290.*

(p) *Fuit illi aliquando)* Qualis ea fuerit, nunc quidem mihi latet. Neque otium mihi est, quo id discam, ERASMI et BVDAEI epistolas curatius evolvere. Familiarem et amicam fuisse eam, nullum dubium est. Quamvis enim hi duo viri de principatu inter eruditos sui

tio cum ERASMO de ſtylo et dictione Latina, et recte iudicavit ERASMVS, illum quaſi tuba canere, cum ceteri tibias inflent, quo iudicio non tam laudare, quam reprehendere, illum viſus eſt. Ineſt ſcilicet Gallis popularis quaedam loquacitas, quae ſi coërceatur diſciplina, abire in lacteam et venuſtam eloquentiam poteſt, cuius plurima poſſunt proferri exempla. (q) Hodie illi omnibus, quotquot ſunt, palmam

ſui temporis contenderint, et tacite, quoniam aperte non audebant, alterius exiſtimationi detraxerint, numquam tamen ſimultates eorum in acerbam eruperunt dimicationem. vid. *ERASMI epp. Lib. I. epp. XI. XII. p. 36.* et Conferatur SAMMARTHANVS in *Elogiis.* Ipſe ceterum ERASMVS dictionem BVDAEI ſua meliorem eſſe ſignificat *Epiſtolar. Lib. XXIV. ep. XX.*

(q) *Hodie illi omnibus*) At noſtra aetate ſcena mutata videtur eſſe. Non deſunt quidem omnino Gallis, qui Latinam conſectantur eloquentiam; at ſi cum illis contendantur, qui eam ſpernunt, et linguam patriae in deliciis habent unice, perpauci ſunt. Clarent nonnulla eloquentiae laude Benedictinae familiae ſodales, qui in illuſtrandis Antiquitatibus ſacris tantum collocant diligentiae. Nam ſi ex MABILLONII RVINARTI, MENARDI, et qui nunc florent, THVILLIERII, MARTENEI, MONTFAVCONII ſcriptis nonnulla demas, quae quotidianam magnorum hominum

mam nationibus praeripiunt. Sunt enim in illis, qui eleganter adeo in ſermone ligato & ſoluto ſcribunt, ut vel provocare ipſos antiquos poſſint, quum Itali, Belgae, Hiſpani, Germani, Angli omnem illam curam purae Latinitatis ſepoſuerint. (r) BALZACVS, qui multas Gallicas epiſtolas ſcripſit, Latinas quoque puriſſimas et nitidiſſimas exaravit. (s) VAVASSOR, Ieſuita, multa

num cum inficetis medii aevi ſcriptoribus conſuetudinem arguunt, reliqua florem quemdam dictionis et nervoſam oſtendunt eloquentiam. Contra Itali, qui Latine ſcribunt hodie, priſcam dicendi rationem ſtudioſe ſervant: id quod IVSTI FONTANINI, LVD. ANT. MVRATORII, PHIL. a TVRRE, et qui principe nominandus erat loco, viri ad elegantias omnes nati, IACOBI FACCIOLATI, libri et orationes declarant. Nec ſegniores Germani ſumus, quibus nemo, niſi rerum noſtrarum imperitus, gloriam emendatae ab aliquo tempore et reductae eloquentiae invidebit.

(r) *BALZACVS)* In eis homo ingenioſus mira felicitate gravitatem et maieſtatem Romanam cum facundia Gallica plus ingenii habente copulavit. Hinc non male fecit v. c. IO. ERH. KAPPIVS, qui has *epiſtolas* in lucem revocavit et cum FRANC. VAVASSORIS *de dictione ludicra* libro denuo edidit *Lipſiae 1722. in 8.*

(s) *Vavaſſor Ieſuita*) Eius *Opera* Philologica et Theo-

multa scripsit, quae ad praecepta bonae eloquutionis pertinent, tum orationes et carmina florida et nitidissima: (t) MENAGIVS CAROLVS RVEVS, PETR. PETITVS, RENATVS RAPINVS, venustissima scripsere carmina.

§. XVI.

In Anglis ne unus quidem succurrit, qui purae Latinae dictionis genium expresserit. Infelices enim semper Angli fuere in eloquentia et natura sua feruntur in praecipitia, abditas et argutas sententias, quae aures quidem titillant, animos non implent. Unus in illis fuit (u) ROGERVS

Theologica uno coniuncta volumine prodierunt. *Amstelod. 1709. fol.* Mire suavis et ornata est eius dictio: at interdum tamen ob nimium CICERONIS studium nonnihil languoris habet.

(t) *Menagius*) Nec omittendus PETR. DAN. HVETIVS, cuius *carmina* saepius edita omnibus condita sunt elegantiis, nec soluta dictio condemni debet. SANTOLIVM, VALESIOS, aliosque omitto.

(u) *Roger Aschamus*) Eius epistolae prodiere *Hanov. 1610. 12.* De quibus et aliis eius meritis consuli etiam poterit MORHOFIVS *Polyhistoris Tom. I. Lib. I. c. XXIII. p. 283. et L. II. c. XIII. p. 475.* Sunt, qui inter Anglos IO. MILTONVM in primis a dictionis venustate et elegantia commendant: quibus ego non adsen-

RVS ASCHAMVS, Elisabethae reginae a secretis, qui aliquid scripsit auribus accuratioribus non indignum, exemplo potissimum STVRMII incitatus, quem ille virum magni fecit, et in cuius disciplinam se totum tradidit, libros eius semper legendo et in usum transferendo. In Scota gente plures fuere, qui linguae Latinae studiosiores fuere, quam in Anglis. BVCHANANVS omne fert punctum, tam in soluto, quam in ligato sermone, quod SCIOP-

sentior. Quamvis enim ingenii et acuminis plena sit MILTONI oratio, scatet tamen multis vocabulis obsoletis et minus Latinis. Ut de barbarismis et Soloecismis taceam; quorum copiam quum ille SALMASIO obiecisset, extiterunt, qui nec eius libros his maculis carere, planum fecerunt. Hodie quamquam pauci Anglorum Latinam curant eloquentiam, sunt tamen nonnumqnam inter eos, qui ipsos ad certamen veteres provocare possint. Exemplo esto elegantissima IO.GAGNIERII *Carolina seu Ecloga in laudem Principis Walliae*, cui THEOD. HASAEVS merito *Bibl. Brem. Tom. IV. P. II. p. 376.* locum dedit. De BVCHANANO et BARCLAIO, quoniam in omnium ore manibusque versantur, cur aliquid moneam, nihil est. De hoc tamen, BARCLAIO nempe, eiusque stylo, legisse iuvabit, quae BAYLIVS collegit *Dictionaire Tom. I. p. 445. Not. L.*

SCIOPPIVS, acerrimus alioquin censor, ipse fatetur et BARCLAIO longe illum praefert, qui plus ingenio suo tribuit, quam auctoritati antiquorum. Phrases apud illum multae confictae sunt, Metaphorae audaces, sermo Poëticus, etsi ingeniosus. Plus quidem illi licuit ob argutum scriptionis genus, quod poëticum est: ita tamen etiam in illo genere scribere debuisset, ut a dictionis puritate non abiret.

§. XVII.

Atque haec dicta sunto de externis characteribus purae dictionis Latinae, qui eo magis nobis attendendi sunt, quo se arctius nobis insinuant, et cum ipso, ut ita dicam, lacte imbibuntur, ipso patrio sermone nos circumveniente et quasi per insidias formulas, phrasesque latinas suppeditante quae postea successu temporis altas adeo radices in animis agunt et in ipso habitu loquendi, ut nullo conatu postea infelix illud lolium exstirpari possit. Quare omni cura id agendum est, ut statim in prima aetate animus a patria lingua abducatur, eiusque diversitas a Latina per omnes loquendi formulas et phrases, constructiones et particulas notetur. (x) Quod nisi fiat

(x) *Quod nisi fiat)* Modo id fieri queat. Infinitae enim propemodum observationis haec res

fiat et a perito doctore dirigatur, pro Latina lingua barbarum sermonem addiscemus.

CAPVT III.

De pura dictione considerata ratione characterum interiorum.

§. I.

RECensuimus hactenus characteres purae dictionis externos, *locum* et *tempus*, quibus purus sermo, ut notis exterioribus, dignoscitur, sed quae magnam in cognoscenda dictione vim habent, vsuinque vocis proprium et genium quam maxime definiunt. Nunc ad ea accedimus, quae orationem ipsam propius tangunt, et a toto sermonis habitu et compage profluunt ad purae dictionis ideam delineandam.

§. II.

Characteres illi interni vel a sermonis *mate-*

res est, quae in paucissimos cadit mortalium. Sufficiat interea, si aliqua ratione peregrini sermonis insidias caveamus, et in maioris momenti rebus ad veterum exemplum nos componamus. Minora nec prudens curat, nec omnes curare possumus, qui Latine scribimus, quum aliis addicti simus negotiis.

materia dependent, vel a *forma*. Ex utraque enim considerari debet Latinae linguae puritas, atque illae mutuo se respiciunt. Neque enim una absque altera esse vel potest, vel debet. Sunt enim quasi principia quaedam constitutiva puri sermonis.

§. III.

Characteres illi sive principia puri sermonis *materiales* considerari debent ratione partium orationis materialium, e quibus oratio coagmentatur. Quemadmodum enim ad opus aliquod faciendum ea materia opus est, quae habilis sit, quae soliditate et mensura respondeat operi: ita in oratione quoque ea est adhibenda ὕλη, quae compositionem totius orationis recte ingrediatur.

§. IV.

Partes orationis materiales exhibent *nomina, verba, particulae*. His enim tribus bene inter se coagmentatis constat omnis oratio et in eas partes resolvitur. *Selecta* debent esse *nomina: verba propria* et genuina: *particulae* recte et concinne positae. Quod nisi fit, tota oratio fit scabra, hiulca, impura, sordida et elegantium hominum auribus indigna.

§. V.

§. V.

Puritas, quae ratione *formae* consideratur, consistit in orationis formali, quod vel consideratur *Grammatice*, vel *Rhetorice*, vel *Logice*.

§. VI.

Formale orationis purae *Grammatice* consideratum refertur ad iustam vocum convenientiam et syntaxin, vel *ordinariam*, vel *figuratam*, et in *figurata* selectum. Neque enim omnis figurata constructio, in primis si quid Archaismi aut peregrini habeat, in pura dictione facile admittenda est. Nam et HERMOGENES figuram illam Grammaticam, quae vocatur ὀρθότης sive *rectitudo*, in puro genere maxime adhiberi vult.

§. VI.

Formale Rhetoricum consistit in *figuris*, earumque selectu, et in *Tropis* ac *Metaphoris*. *Figurarum* enim quaedam sunt simpliciores, quaedam vehementiores, quae affectibus vehementibus inserviunt, et prae ceteris sunt φορτικοὶ. *Metaphorae* quoque suis gradibus distinguuntur, e quibus audaciores illae, quibus Poëtae et Satyrici utuntur, et Catachresticae a purae dictionis usu sunt removendae.

§. VIII.

Formale Logicum consistit in sententiis

ac

ac enthymematibus, quorum usus pro ratione dictionis varius est. Sententiarum enim est magnitudo, gravitas, dignitas, maiestas: multiplicatio ab hoc puro dicendi genere aliena. Rarae enim hic sunt sententiae et vel causa sunt enthymematis, vel eiusdem Epilogus, id est, ideo adducuntur, ut vel enthymema aliquod inde conficiatur pro conclusione nostra probanda, vel denique sit ipsa conclusio, quae enthymema suum sequatur. *Enthymemata* seligi debent ex vulgaribus illis πιθανοῖς sive plausibilibus, quae fundantur in Canonibus istis ARISTOTELIS de bono, malo et pulchro, et in his quidem quae maxime obvia sunt et se intellectui primo conceptu sistunt. In his nisi selectus instituatur et vera earum sit concinnitas, impura statim fit oratio, quasi heterogeneis quibusdam admissis, fitque, ut auditor vel lector ad orationem talem velut ad permista vina nauseet: qua allegoria apposite utitur passim *in Rhetorica* ARISTOTELES.

§. IX.

His generatim ita consideratis, ad partes iam procedimus, et quidem ad *Nomina* et *voces*, de quarum puritate nobis primum agendum est. Earum vero puritas maxime in *proprietate* consistit.

CAP. IV.

Capvt IV.

De proprietate vocum.

§. I.

PRoprietas vocum principem locum tenet in puritate dictionis. Nisi enim proprios vocum sensus teneamus, tota inepta erit et impura oratio, neque a quoquam vel intelligetur, vel cum animi delectatione legetur. Quemadmodum enim hominem non noscimus, qui larva sibi vultum texit: ita voces quasi peregrinae videntur, quae aliam a nobis significationem induere iubentur.

§. II.

(y) *Proprietas est illa vocum acceptio et significatio, quam vel populus illi imposuit, vel e populo sapientiores viri in dignitate publica et magistratibus constituti.*

§. III.

(y) *Proprietas est)* Duplex est *proprietatis*, quam in sermone decet servare, species. Altera dici potest *proprietas significationis*, altera *proprietas usus*. De illa praecipit hic auctor noster, hanc praetermittit. Illa est, quum voces Latini sermonis non alia adhibentur significatione, quam ea, qua veteres eas usurparunt. Haec autem iisdem nominibus res appellare iubet, quibus eas a veteribus denominatae sunt. Sunt etenim innumerabiles apud Latinos

§. III.

Proprietas vocum ratione *etymologiae* et *usus* existimari debet. Hi enim quasi gemini sunt cardines, ex quibus iudicium insti-

---

tinos loquendi modi vocesque, quae ita certis rebus propriae sunt, ut alias, etiamsi non dissimilis significationis, ornatae dictionis studioso in illis exprimendis haud integrum sit adhibere. Ut exemplum afferam: Hominem, qui ex auditu laborat, *surdastrum* appellant Latini. Talem igitur qui diceret *male audire*, is Latine loqueretur quidem, non vero propie. *Cibos condire* Latini dicunt eum, qui, ut palato sapiant, efficit. Hinc qui coquum *cibis saporem conciliare* diceret, proprietatis esset negligens. Nemo accuratius in huius generis proprietate investiganda elaboravit, quam ANTON. SCHORVS, vir Latine doctissimus. Conferantur etiam perelegantes VAVASSORIS *de vi et usu quorundam verborum* observationes, quas Cl. KAPPIVS iterum edendas curavit. Prior quidem illa proprietas maioris est momenti et a bona oratione prorsus abesse nequit. Hanc tamen elegans et ornata oratio omnino etiam flagitat, et qui contemnunt eam, merito *Germanicismorum*, *Gallicismorum*, *Italismorum* etc. postulantur, nec in veterum imitatoribus haberi possunt. Tetigit huius rei nonnihil noster inferius *cap. V. §. VI.* IVNIANVS MAIVS, eques Neapolitanus, scripsit Librum *de verborum priscorum proprietate, Neapoli* 1475.

D et

instituii debet verae vocum significationis. Quoniam enim vocum prima origo saepe variat et usu ipso in alios sensus saepe flectitur, (z) ideo etymologiae rationi non semper standum est: usus enim saepe voces plane in alios sensus detorquet.

§. IV.

Ratione *etymologiae* spectatur significatio, cum Etymon cuiusque vocis attenditur atque ex eo vera vis vocis aestimatur. Quod cum sit, nota nobis esse debent vera singularum vocum etyma, quae quidem sciri possunt. Multarum enim vocum radices deperditae sunt, remanentibus derivatis, quorum significatio deinde ex usu edifcetur. Quod non solum in Latina lingua, sed in Germanica, Gallica, coeterisque omnibus factum fuit, cum radices verae iniuria temporum interiere. (a) In Ger-

et iterum 1490. editum. vid. NIC. TOPPII *Bibliotheca Neapolit.* p. 168. f. Qui quo sensu vocem *proprietatis*, quae ambigua est, ceperit, quum librum haud viderim, ignoro.

(z) *Ideo etymologiae*) In Latina lingua vix est, cur aliquid etymologiae tribuamus. Nam ut ea nihil esse taceam incertius, tot nobis supersunt eius linguae monumenta, ut veram vocum potestatem ex usu earum facile queamus addiscere.

(a) *In Germanica*) Hoc argumentum persequutus

Germanica tot eius sunt exempla, ut, si quis rem illam persequi velit, integro libro hoc labore defungi possit. Pleraeque enim radices Germanicae in Danica, Suecica, Belgica, veteri Saxonica lingua delitescunt.

§. V.

In Latina lingua (b) *de caussis amissarum radicum* singulari libro egit CHRIST. DAVMIVS, qui eleganter ab illo tum iuvene scriptus, sed in quo, credo, multa vir et senex mutasset. Sunt enim aliqua in quibus illum errasse apparet; utilissimus tamen ille labor est, ac optandum fuisset *Lexica* eius *Anagogica* in lucem prodiisse, quae ipse magno studio congessit, (c) quae nunc

tus fuisset ipse vir egregius, si *Origines Germanicas*, quas in *Praef. Comm. de lingua et Poësi German.* se affectas habere memorat, perficere, potuisset. Conf. V. C. IO. MOELLERI *Prolegom. in Polyhistor. p. 68.*

(b) *De causis amissarum)* vid. quae notata sunt a nobis ad cap. II. §. VII. Quod hic de DAVMII libro iudicium fert MORHOFIVS, id etiam *Polyhistoris Lib. IV. c. IX. p. 818.* tulit. Ego quos in eo libro naevos et errores esse dicit, in exemplis, quibus caussas amissarum radicum illustrat DAVMIVS, quaerendos esse arbitror, non in ipsis caussis sive regulis, quas nemo facile falsitatis postulaverit.

(c) *Quae nunc fortasse)* Fallor vero, aut quae

nunc fortasse post mortem ipsius cum blattis et tineis pugnabunt.

§. VI.

(d) Etymologias in Latina lingua multi indagarunt, tam e veteribus, quam recentioribus, sed qui mire inter se discrepant et saepius extra orbitam feruntur. (e) Veteres Grammatici in originibus vocum tradendis infeliciores fuere saepe recentioribus. (f) ISIDORI prae reliquis multae sunt

DAVMIVS reliquit nondum edita magnam partem in Bibliothecam publicam urbis Cygneae sunt illata.

(d) *Etymologias)* Cum eis quae de Latinis etymologis hic noster habet ea conferre proderit, quae idem *Polyhistoris Tom. I. Lib. IV. c. IX. p. 818 s.* de eodem argumento commentatus est.

(e) *Veteres Grammatici)* Specimina ineptiarum huius generis, quem vidisse iuvat, is QVINTILIANVM *Instit. Orator. Lib. I. cap. VI. p. 47.* qui eleganter, *eos in parvis ingeniis ad foedissima usque ludibria lapsos esse* ait, GELLIVM *Noct. Attic. Lib. I. c. XVIII. et XXV. Lib. III. c. XIX. L. X. c. V. XII. c. XIV.* CICERONEM *de natura Deorum Lib. III.* p. m. 249. T. IV. Opp. et alios consulat. Conf. DAVMIVS *de causis amissar. radicum c. XXVIII. p. 518.* Atque is ipse DAVMIVS pollicetur in eo libro aliquoties *Diss. de ratione significationis verborum Latin.*

(f) *Isidori)* ISIDORI Hispalensis saeculo VI. antisti-

ſunt ineptiae. FVNGERVS poſtea in *Lexico Etymologico* et BECMANNVS in *Originibus* aliquid accuratius ſcripſere. (g) MATTH. MARTINIVS in vaſtiſſimo *Lexico Philologico* multa commiſcet et confundit. In Latinis quidem vocibus ceteris quidem ſuperior interdum eſt, ſed in Germanicis derivandis, nam et illas immiſcet, oppido ineptus et ridiculus. Negari tamen nequit, viam illum paraſſe (h) VOSSIO, diſcipulo ſuo, qui poſtea *Lexi-*

tiſtitis *Originum* Libros XX. intelligit, de quibus copioſe egit IO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Latinae Lib. IV. c. VI.*

(g) *Matth. Martinius*) Eius *Lexicon* una cum *Cadmo*, quem inſcripſit, *Graeco-Phoenice* et aliis rebus cura GRAEVII denuo editum eſt *Traiecti 1697. fol.* Quae *Amſtelod. 1701. fol.* prodiit editio IO. CLERICI *Diſſ. Etymologica* aucta eadem eſt, nec novi aliquid habet, praeter novum *titulum*.

(h) *Voſſio*) Eius *Etymologicum* L. Latinae quam plurimis ISAACI VOSSII adnotationibus auctum iterum prodiit *Amſtelod. 1695. fol.* AEGID. MENAGIVS in *Amoenitatibus Iuris* VOSSIVM paſſim obſervat multa MARTINIO ſublegiſſe. PAVL. COLOMESIVS vero *Animadv. ad Gyraldum de Pöetis* varios eius errores in hoc *Etymologico* admiſſos erudite notavit. Conf. *eiusdem Obſervat. ſacrae Opp. p. 596.* vbi *non pauca* eſſe iudicat in eo opere, *quae miram properantiam arguunt.*

Lexicon Etymologicum ſcripſit, quod poſt mortem eius editum eſt, in quo multa cum Martinianis illis ἀυτολεξει conveniunt, maiori tamen iudicio congeſta. Diu liber ille ineditus haeſit inter manus bibliopolae, litem movente altero illo bibliopola, qui MARTINII lexicon impreſſerat. Divenditis tandem MARTINII exemplaribus, VOSSII *lexicon* in lucem prodiit, cui praemittitur utiliſſima tractatio *de litterarum permutatione*.

§. VII.

Non ſolum VOSSIVS, ſed et multi alii in Etymologiis tradendis ſaepe hallucinantur: quod fit ob defectum notitiae linguae antiquiſſimae Latinae, e qua ſucceſſu temporis, primis illis vocibus abolitis, aliae voces ortae ſunt. Nam quanquam EILH. LVBINVS et poſt illum JAN. GVIL. LAVREMBERGIVS plenius et accuratius, in *Lexicis* ſuis *Antiquariis* antiquas voces explicuerint, pars tamen earum multo maxima iniuria temporum eſt deperdita.

§. VIII.

Ad originem vocum ſi reſpicitur, pravae illarum ſignificationes ſaepe emendari poſſunt et vera vocum acceptio reſtitui.

(i) Ita

(i) Ita vox *Indigetare* vulgo pro *nominare* sive *indicare* accipitur, cum plane alia sit eius vocis acceptio. Est enim vox sacra a Diis Indigetibus petita, quos *indigetare* dicimus, cum illos invocamus. Qui aliter utuntur ea voce etiam viri docti interdum, sensum vocis *ostendere* huic voci imponunt, quasi sit a digito derivatum, unde *indigetare* sit quasi *digitum intendere*. Ita vox *camera* non significat quodlibet conclave aut cubile, sed fornicem, ein Gewölbe. Est enim a voce *Camurus, a, um*, quod idem est, quod incurvatus, unde *Camura* dicuntur *cornua curva*.

§. IX.

Diligenter itaque ad origines vocum respiciendum est, non quidem primas illas et absconditas, quae raro a viris eruditis e primis illis sedibus suis eruuntur, sed ad illas vulgares et obvias, quarum derivatio certa est et unde vis aliqua significationis primaevae deduci potest.

§. X.

Quod ut eo accuratius indagemus, suaserim ego, indicem esse conficiendum et

 velut

(i) *Ita vox indigetare)* vid. VOSSIVS *de vitiis Latini sermonis Lib. I. c. XXXIV.* et IO. VORSTIVS *de Latinitate merito suspecta cap. XVI. p. m.* 139.

velut λεξίδιον aliquod earum vocum, quae significationem a radicibus suis acceptam retinent, vel eam mutant et in novam aliquam significationem transformant.

Capvt V.

De Proprietate vocum ex usu aestimanda.

§. I.

Qvoniam vocum ex etymologia consideratarum non est perpetua ratio, sed significationes earum ex usu populi vehementer variant, ideo *ad usum vocum et phrasium* prae ceteris respiciendum est. Usus enim in omni re maximus magister est, legesque ipsis etiam Grammaticis imponit, vetera tollit, nova inducit, singulis suam quasi formam circumponit. Unde fit ut pene singulis seculis novus sit linguae habitus, (k) quae ubi

(k) *Quae vbi ad summum pervenit)* Quid factum sit et linguis plurimis contigerit, hic auctor enarrat, non quid necessario fieri debeat, exponit. Nouimus cecidisse Romanam, Graecam, alias linguas, postquam ad summum peruenissent elegantiae gradum: sed id casu factum est. Neque enim ego quid caussae sit intelligo, quare linguae, vbi supremum decus attigerint, nisi peregrinae quaedam caussae

ubi ad summum pervenit, quod ex elegantia sermonis cognoscitur, iterum retro sublapsa refertur et vel commercio peregrinarum gentium depravatur, vel vitiosis et tumidis metaphoris morbum quasi hydropicum quendam contrahit.

§. II.

Usus ille vocum et phrasium in lingua Latina non dependet ex ratione loquendi, quae apud infimam plebem regnat. Nunquam enim in gente etiam cultissima plebs adeo erudita est, ut delectum instituere vocum norit. Quare et ipsius CICERONIS et AVGVSTI tempore rusticae quaedam voces et phrases fuere, nunquam viris elegantioribus usurpatae. Etsi tamen et hae interdum in familiari sermone summis in re publica viris in usu fuere, quod exemplo AVGVSTI ostendit SVETONIVS *in eius vita*, ubi varias ille voces et phrases adducit, quibus usus AVGVSTVS fuit, ut *lachanissare, vapide sese habere, pulleiaceus* pro *pullus*. Ac verisimile est, pluribus usum fuisse, quas non adduxit SVETONIVS. Vnde hoc con-

sae accesserint, diu florere nequeant, sed relabi ad veteres sordes debeant. Id vero usu constat et experientia, quod cultores linguae alicuius postremo ad inanes subtilitates et ineptias descendant, quibus vera facile caret eloquentia.

ficitur, fuisse etiam illo tempore plebeias voces, quibus usi fuere, rustici, opifices, servi, aliique sordidi homines, quas reiecere viri elegantes et oratores, etsi fortassis ipsi in quotidiano sermone illis uterentur, quod fecit ipse AVGVSTVS. Supersunt hinc tot voces Latinae nostris auribus insuetae in Africanis scriptoribus, APVLEIO et aliis, qui non adeo sollicite voces illas plebeias ab elegantioribus illis distinxerunt. (l) APVLEIVM certe CASP. BARTHIVS ideo magni fecit, quod multae in illo voces reperiantur ipsi Latio vel contemtae, vel neglectae, quae tamen ad integritatem sermonis Latini, si origines linguae respicimus, multum conferunt. Idem ille de Hispanica lingua et Hispanis scriptoribus iudicat: quod iudicium non omnino contemnendum est. (m) Verosimile

(l) *Apuleium certe Barthius)* Laudat BARTHIVS APVLEIVM *Adversarior. Lib. XXIV. c. I. p. 1170. L. VII. c. XII. p. 334.* et alias. Sed et alii scriptorem hunc exquisitis condecorarunt laudibus, quorum suffragia congessit magnam partem DAVMIVS *de caussis amissar. radic. c. XXVII. p. 516.*

(m) *Verosimile enim est)* Forte gentis a cultiori vitae genere remotioris natura et lingua Punica, qua utebantur antea, multum etiam sibi iuris in hanc Africitatem, quam vocant, sibi poscunt.

mile enim est, in Africam, quae inter primas subactas provincias est, transiisse cum plebe militari illam vocum plebeiarum farraginem, quae deinde in ipsam linguam Latinam assumta est a gente illa, cum non essent in illa, qui accurata inter elegantiores et sordidas voces distinguerent.

§. III.

Omnes itaque voces sordidae et technicae, quibus utuntur opifices et plebeii, a culta civili oratione reiiciendae sunt, una cum phrasibus apud plebem usitatis. Nam cum rarus illarum in sermone civili usus sit, aliquid sordidi admistum habent. Quare in oratione civili potius generalioribus quibusdam vocibus utitur orator, quam illis ab opificibus inventis. (n) Quis enim in oratione culta Latina vel *Rancilionis*

(n) *Quis enim in oratione)* Ne quae noster hic erudite disputat, perperam accipiantur, cavendum est. Non is hoc sibi vult, abstinendum esse omnino ab artificum vocabulis in lingua Latina. Quis etenim neget, qui aedificium describere vellet aut de architectorum arte ex instituto verba facere, eum vocabulis vti debere arti huic propriis? Sed de culta et ciuili oratione loquitur, quae ad omnium aures captumque accommodatur. In ea cur eiusmodi vocabula haud facile sint admittenda, haec ratio est praecipua, quod evidentiae et

nis vel *Buttae* et *Butticelli* et ſimilium rerum mentionem faciat, etiam cum res ipſa efflagitet, quibus tamen Juſtiniani temporibus uſi ſunt Romani? Hinc apud rei ruſticae ſcriptores CATONEM, COLVMELLAM, PALLADIVM, apud VITRVVIVM, architectonicae artis ſcriptorem tot voces reperiuntur technicae, quas apud CICERONEM, NEPOTEM, CAESAREM, alioſque nunquam invenias vel iis in locis, ubi de re illa loquuntur. Cujus rei exemplum vel lingua Germanica ſuppeditare poſſit, in qua nunquam tales voces in uſum civilem veniunt.

§. IV.

et perſpicuitati obſiſtant, quoniam a vulgari cognitione longius abſunt. At hic tamen diſtinguendum eſt inter ea vocabula, quae ſibi fere ſolis vendicant artifices, et ea, quae communis vſus haud reſpuit penitus. Rerum nempe, quae conficiuntur ab opificibus, nomina a loquendi conſuetudine non nimis remota ſunt, at inſtrumentorum et ipſorum laborum appellationes propriae vulgo ignotae ſunt. Sciunt plerique quibus vocabulis deſignentur partes aedium praecipuae, neſciunt vero, quibus ſupellex operariorum, qui in illis conſtruendis verſantur, nominibus inſigniri ſoleat. Pauci ignorant, quomodo vocanda ſint vaſa, quae aurificum elaborantur induſtria, multi vero, quaenam officina eorum vocabula ſibi propria habeat, neſciunt.

13

§. IV.

Ipsae quoque voces technicae phrasesque aliter efferri solent civili illa, quam vulgari lingua. Vulgaris enim lingua tales voces usurpat, quibus opifices tantum utuntur, quaeque ad omnium notitiam in republica non perveniunt. Rectius itaque tales phrases e probatis classicisque auctoribus exprimemus, quam ex illis, qui de arte ipsa scripsere. Utemur itaque potius iis phrasibus, e. c. in re agriculturae, quas apud CICERONEM, quam quas apud CATONEM, PALLADIVM, similesque auctores invenimus.

§. V.

Hunc in finem colligendas esse suaserim omnes voces phrasesque technicas singularum artium e classicis auctoribus, atque ita in unum corpus concinnandas; quod iam dudum suaserunt viri docti et olim molitus est (o) JO. STARCKIVS singulari libro. Propositum sibi hodie id habet VINC. PLACCIVS, qui librum editurus est, cuius titulus: *Encyclopaedia technicarum phrasium* et MARIVS GRAPALDVS iam tum fecit *de arte architectonica, libro de aedibus earumque partibus.*

§. VI.

(o) *Starckius)* Promisit ille *Technologiam Phraseologicam.*

§. VI.

Notandae prae caeteris ſunt illae voces et phraſes, quae inveniuntur in artibus et ſcientiis, quarum maior uſus eſt in re publica. Ita omnes illae voces et phraſes, quae pertinent *ad rem Chrematiſticam et pecuniariam*, *ad artem militarem*, quae pertinent ad *actiones in re publica ſacras*, *legum ferendarum*, *comitiorum*, *magiſtratuum creandorum*, *teſtamentorum*, *contractuum*, *&c.* ſeorſim diligenter notandae ſunt. Quoties enim in oratione ſermo incidit de talibus argumentis, utendum eſt vocibus huic rei et huic actioni propriis. Quibus ſi non uteremur, minus accurate, minusque Latine loqueremur. Quod ut in omnibus linguis, ita et in Latina obſervari debet. Eius rei praeclarum ſpecimen nobis dedit BARNABAS BRISSONIVS (p) in libro de *formulis et ſolemnibus populi Romani verbis*.

§. VII.

Ad ſordidas etiam et plebeias voces pertinent ſordidae metaphorae, quibus plebs uti ſolet. Quare et hae reiiciendae ſunt a pu-

(p) *In libro de formulis*) Quem idcirco etiam valde commendat IO. SCHEFFERVS *Libro de ſtylo cap. XII. §. XII. p. 155.* Conf. MORHOFIVS ipſe *Polyhiſtoris Tom. I. Lib. IV. cap. IX. p. 829.*

a puro sermone, non tantum quod impurae sint, sed et quod impropriae sint. Plebs enim ad animi sui conceptus voces etiam Metaphoricas rebus imponit, quae si sint vilioris indolis et a rebus sordidis petitae, dedecent orationem cultam et elegantem.

CAPVT VI.

De Nomenclatoribus.

§. I.

USus vocum in lingua Latina vel ab aliorum, vel nostra observatione pendet. Id quod alii observarunt, primum nobis legi et notari debet, ut ipsi labore notandi et observandi sublevemur, modo securi esse possimus de auctoris solertia et fide.

§. II.

Primi itaque hic nobis occurrunt *Nomenclatores*, id est, ii auctores, qui secundum singulas rerum classes nomina congesserunt, quorum auctorum non adeo magnus est numerus, qui hic laudari mereantur. Utinam (q) veterum glossatorum

(q) *Veterum glossatorum)* De glossatoribus et glossariis Latinis et Latino-Graecis erudite com-

rum omnes libri nobis ad manus essent, magnae id nobis utilitati in hoc argumento esset. Fuere enim vel ante ISIDORVM auctores, qui in hoc genere industriam suam probarunt, non tantum simplices voces, sed etiam verba notando; verum iniuria temporis interciderunt. Exigua sunt, quae apud veteres Grammaticos nobis supersunt, et qui e recentioribus Lexica talia scripsere, recentiora illa et barbara veteribus miscuerunt, ut fecit (r) CAROLVS du FRESNE in suo *Glossario*, quae tamen omnino essent distinguenda.

§. III.

commentatus est I. A. FABRICIVS *Bibl. Latinae Lib. IV. cap. VI.*

(r) *Carolus du Fresne)* In quo multa praeterea desunt vocabula, id quod specimine non vno inter alios ostendit GEORGIVS ROTHIVS. *Notis ad Diploma Ottonis IV. de schola Stadensi p. 14.* Ipse vero CANGIVS locupletiorem et emendatiorem pollicitus est editionem, teste VIGNEVL de MARVILLE *Melanges litter. Tom. I. p. 135.* Et fama dudum fuit has emendationes et accessiones una cum ipso *Glossario* Lutetiae editum iri. Multa etiam in hoc notavit *Glossario* HADR. VALESIVS in *Valesianis* p. 208 - 234. qui p. 233. idem fere, quod hic MORHOFIVS, in eo reprehendit. Quamquam levia haec sunt, si ad laboris praestantiam et insignem utilitatem referantur.

§. III.

Nomenclatoris absoluti in Graeca lingua egregium exemplum dedit IVLIVS POLLVX in illo, ut vocat, *Onomastico*, (s) in quod SIBERI extat commentarius et KOENIGII animadversiones. Rerum ordo in illo accuratus est, ut eam ob caussam ipse auctor laudet opus suum. Nolumus hic immorari recensioni eorum *Nomenclatorum*, quos in ceteris linguis habemus, Hebraica, Graeca et reliquis exteris: nam in sola Latina lingua nunc occupamur. Habemus FRISCHLINI, ZEHNERI, SIBERI et multos alios, Nomenclatores non Latinos tantum, sed et Graecos, quos in puerorum et iuvenum usum illi auctores scripsere, qui tamen in multis deficiunt.

§. IV.

Omnibus omnino Nomenclatoribus praeferendus est HADRIANVS IVNIVS, (t) qui Nomenclatorem perfectissimum, qualis

(s) *In quod Siberi extat*) Nunc etiam IOACH. KVHNII et LEDERLINI, praestantissimorum virorum, Notae in nova, quam WETSTENIVS curavit, editione.

(t) *Qui Nomenclatorem*) Nomenclatoris huius Historiam nemo diligentius exposuit, quam THOM. CRENIVS *Animadversion. Philol. et Historicar.* P. I. c. III. p. 33. f. Qui et eos nomina-

lis hactenus haberi poteſt, ſcripſit et omnes voces ſecundum ſeriem rerum eleganter diſpoſuit. De eo ita EDMVND. RICHERIVS in *Obſtetrice animorum cap. VI. §. IV.* iudicat: *Nomenclator ille nec laudari ſatis, nec digne aeſtimari poteſt, cum praecipue loco breviſſimi optimique commentarii in omnes antiquos auctores eſſe poſſit. Quapropter omnes ingenuos adoleſcentes exhortor et, ſi aequum eſt, obſecro, ut ſe huic auctori totos dedant et conſecrent, ex cuius lectione grandem et incomparabilem fructum opportune metent.* Optat vero RICHERIVS, ut CASAVBONVS aut vir alius aliquis in utraque lingua exercitatiſſimus omnia Graeca et Latina verborum Synonyma iuxta ordinem ab HADR. IVNIO obſervatum ſeorſim in lucem emitteret. *Ita enim*, inquit, *efficeret, ut adoleſcentes ſine ulla prope difficultate linguae utriusque arcana, conceptaque omnium artium vocabula et formulas artificum tenerent.* Verum ita non voces tantum nudae, ſed et phraſes eſſent conſignandae, et perfectum aliquod Lexicon formandum.

§. V.

---

minavit, quos hic liber reprehenſores invenit aut laudatores.

§. V.

Sunt qui varios Nomenclatorum adornandorum modos commenti ſunt; ſunt qui varias linguas miſcent, ut fecit IVNIVS in Graeco-Gallica, Italica, Anglica, Germanica. Quod conſilium in univerſali aliquo Nomenclatore non ſpernendum. Graeca enim Latinis iungenda ſunt: ceterae vero linguae, Italica, Gallica, Hiſpanica, magnam partem a Latina derivantur, Germanica ut notior nobis præſupponenda. Eamque ob cauſſam IVNII *Nomenclator* eruditis prodeſt, cum magna diligentia eum confecerit. Teſte enim COLOMESIO in *Opuſculis* ſuis ſaepe ipſe ſe IVNIVS miſcuit tabernis ac cauponis, et plebi etiam viliſſimae, ut diſceret ab illis vera rerum vocabula. Eſt vero illa opera, qua multae linguae miſcentur, utilis potius viris doctis et qui iam aliquos profectus in lingua Latina fecerunt. Pro pueris enim et adoleſcentibus Nomenclator ſufficit unius linguae bene ordinatus, qui contineat voces per notiorem linguam vernaculam interpretandas.

§. VI.

In hac Nomenclatorum confectione quidam reſpiciunt ad faciliorem vocum apprehenſionem, quidam ad ordinem re-

rum, quidam ad certos locos, quibus uti deinde in excerpendo possint.

§. VII.

Qui ad faciliorem apprehensionem respiciunt, segregant primitivas voces a derivatis et compositis. Primitivae ergo voces primo memoriae infiguntur, quae non adeo multae sunt, inde ponuntur voces derivatae, deinde coniunctae et compositae. Ita fit, ut, voce aliqua audita, ubi primo primitivum innotuerit, derivatorum et coniunctorum significatio per se pateat.

§. VIII.

(u) Illa apprehensio ut eo facilior sit, succurrunt aliqui beneficio mnemonices, quod vel ex imaginibus petitur, (qui tamen modus ut taediosior mihi minus probatur) vel ex alliterationibus ad notiorem linguam, ut SCHICKARDUS olim fecit in Hebraica lingua, vel singulari verborum positu et colore, ut fecit SCHAEVIUS in *Nomenclatore* suo, qui masculina nigro colore, foeminina rubro, neutra misto expressit.

§. IX.

(u) *Illa apprehensio)* Consulendum hic erit omnino *caput VI. Libri II. Tomi I. Polyhistoris* MORHOFII p. 366. quod inscriptum est: *De memoriae subsidiis.*

§. IX.

In Derivatis et coniunctis longe expeditiorem viam alii commenti sunt, quando terminationibus vocum et verborum ideam perpetuae alicuius significationis exprimunt, secundum quam facillime vocum significata percipiantur. Ut itaque cognitis primitivis, derivatorum intelligigitur notio, ita statim ex terminatione vocis eius significatio patet: (x) sic e. g. terminatio *dos* et *entos* copiam et plenitudinem significat; terminationes *onia, itas, udo, edo, entia,* etc. qualitatem et habitum notant: *or, io, entum* significant actionem, opus, sive effectum: *ite* et *etum* significant locum etc. quae ratio in omnibus omnino linguis obtinet, Hebraica excepta, quae non multa habet derivata et composita. Fuit qui in Latina lingua tale vocabularium confecit secundum terminationes compositum, IACOB. ENGELBRECHTVS, libello qui inscribitur: *Complementum linguae Latinae.* Idem artificium imitatus est in Graeca lingua et quidem in verbis Novi Testamenti, AN-

 DRE-

(x) *Sic terminatio*) Quantum veritatis et utilitatis haec habeat observatio, viderint illi, quibus linguarum studium in deliciis est. Ego parum abest quin existimem, infinitis exceptionibus eam laborare.

DREAS PAVLI, in libello, qui inscribitur: *Thematologia N. Testamenti.* Hoc ego inventum credo fuisse BECHERI, qui promiserat, se duabus vel tribus tabulis omnes Latinae linguae voces comprehensurum, effecturumque, ut omnes illas voces, earumque significationes brevi temporis spatio puer memoria teneret. Idem fuit forte consilium auctoris illius anonymi Galli, qui in libello, cui titulus; *Grammaire raisonnée*, promisit aliquod *universale Dictionarium*, quo omnes cuiuscunque linguae voces, earumque significationes possent comprehendi.

§. X.

Ordo rerum in *Nomenclatore* certas ob caussas observari quoque meretur. Ille enim ad usus varios in ipso Rhetorico artificio inservire potest, cum prior illa vocabulorum series soli memoriae in faciliori eorum apprehensione serviat. Proderit ille labor pueris et tyronibus, hic vero adultis et qui iam ad usum applicaturi sunt quae didicerunt. Quanquam forte consultius futurum sit, si, omissa illa priori methodo, statim ad illam methodum, quae per ordinem rerum procedit, transitus fiat. (y) Etsi enim forte memoriam prior ille labor

(y) *Etsi enim forte*) Facile concesserim, hanc viam

labor iuvat, alter tamen ad intellectum et iudicium perficiendum magis proderit, quod ſimplici illa via quaſi aliud agendo obtinetur, ſine operoſa exercitatione ingenii. Quum enim Philoſophia tota noſtra nihil aliud ſit, quam ſcire ea, quae inſunt et adſunt rebus, puer ſola nomenclatura eo adigetur, ut uno complexu comprehendat et uno inſtituto perluſtret illa, quae ſunt rerum ſingularum partes, cognata et adiuncta, quod progreſſu temporis magno ſane commodo iuventuti erit. Et erat hoc COMENII conſilium in ſua *Janua* et *Veſtibulo;* SCIOPPII in ſuo *Mercurio quadrilingui*, ut iuventutem per enuntiationes certas, ſubiecto et praedicato inter ſe connexo, naturam rerum doceret. Quod inventum etſi non ſpernendum, conſultius tamen ego exiſtimo, ſi voces per ſe ponantur citra talem connexionem, cum per illam ſtructurae ineptae et vulgari adſueſcant pueri, verba autem

viam vtiliorem fore, ſi magiſter adſit non ineptus, nec ipſe puer obtuſiori ſit ingenio. Vt nunc ſunt hominum plerique, qui primae puerorum inſtitutioni praeficiuntur, puerique, quibus linquae Latinae rudimenta inſtillantur, priorem ego rationem generatim, quia memoriam ſublevat, magis profuturam arbitror.

et voces iunctae illam connexionem, quae in illis eſt, vel ſine hoc adminiculo inſinuent. Ille ordo rerum quibusdam rudis eſt, neque ad minima, neque ad illa, quae quomodocunque ſunt connexa, deſcendit: quo plerique nomenclatores et ipſe IVNIVS utitur, qui in nominibus ſolis ſubſiſtunt. Sed ſunt alii, qui, hoc ordine rerum reiecto, locis quibusdam communibus utuntur, eoque non nomina tantum, ſed et verba et particulas referunt, cognata, affinia, adiuncta, repugnantia ſimul congerendo, ut ita puer totam linguam per locos illos diſcat, memoriaque omnia comprehendat. Quo id efficiet, ut, mentione alicuius verbi generalis facta, ſtatim ultro occurrant, quae inſint et adſint rebus omnibus, unde non ſolum ducuntur amplificandi modi, ſed ipſa argumenta et enthymemata: nihil enim aliud argumenta tam probantia, quam amplificantia ſunt, quam illa, quae rebus inſunt, adſunt, et quae illas conſequuntur. Neque ipſe ARISTOTELES enthymematicam orationem aliter definiit, quam ubi plurima, quae rebus inſunt, dicuntur. Obtineri ergo ſtatim in principio poteſt hoc, ut puer diſcat enthymematicus fieri per ſolam nomenclaturam. Quod profecto non leve eſt ad omnem eloquentiam ſubſidium

et

et plura ſub receſſu condit, quam quis crediderit.

§. XI.

Superiori ſaeculo ſequutus fuit hoc conſilium STVRMIVS, maximus Germaniae noſtrae Rhetor, qui totam linguam Latinam in LXXVI. locos diſpeſcuit. Explicatius illud propoſuit et in effectum deduxit IOAN. BENZIVS, STVRMII diſcipulus, qui in utraque lingua Graeca et Latina *Sciagraphiam* talis operis dedit, poſtquam STVRMIVS in (z) libro *de reſolvenda Latina lingua* uno alteroque exemplo praxin eius oſtenderat. (a) Et STVRMIVS quidem his locis ita uti volebat tyronem,

(z) *Libro de reſolvenda*) vid. idem *Libro de amiſſa ratione dicendi Lib. I. cap. XI.* IO. BENZIVS primo ipſos locos ſeu nudam locorum diſpoſitionem in vſum eorum, qui excerpta vellent colligere, edidit *Argentor. 1588. in 12.* Poſtea prodiit, tamquam maioris operis ſpecimen, *Compendium eius Theſauri latinitatis purae. Argentor. 1596. 8.* In Graeca lingua extat eius *Theſaurus elocutionis Oratoriae Graeco-Latinus Baſil. 1581. fol.* eadem ratione digeſtus. Commendat hanc viam multis etiam MORHOFIVS *Polyhiſtoris Tom. I. Lib. III. cap. II. p. 565. ſ.*

(a) *Et Sturmius quidem)* Praecipuam rationis huius utilitatem in eo collocant, qui eam commendant, quod doceat eius cultores de qua-

 cum

ronem, ut non tantum ad nomenclaturam inservirent pueris, sed et ad ſtyli elegantiam et copiam dictionis adultis, ad ipſam rerum ſcientiam viris. Quam ob cauſam poſtea

cumque re differere. Ita vero illi ſibi ſingunt oratores rerum expertes et cognitione diſciplinarum deſtitutos, nec ad veram eloquentiam, verum ad loquacitatem quamdam, nervis deſtitutam, hac via ducere volunt. Quidnam enim, quaeſo, ponderis et momenti oratio poteſt habere, quam homo ſcientia vacuus ex formularum et verborum collectione quadam ad certos locos communes digeſta compoſuit? verba aures afficient: animus auditoris haud commovebitur. Veterum Sophiſtarum hoc erat artificium, vt iuvenes de quacumque re verba facere docerent, etiamſi eam haud intelligerent. vid. ARISTOTELES *de argumentis Sophiſtarum Lib. I. cap. II.* At ego eorum praetulerim opinionem, quam praeſtantiſſimi quivis ſequunti ſunt, qui oratorem rerum ipſarum cognitione inſtructum eſſe debere praeceperunt. Talis vero, etiam ſine *Locis* eiusmodi, dicendorum inveniet materiam et apte, commode, ornateque differet. *Eſt*, inquit CICERO *de oratore Lib. I. c. V. p. 82. ſcientia* (oratori) *comprehendenda rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt.* Conferantur QVINTILIANVS *Inſtit. Rhetor. Lib. II. cap. XXI. p. 139. Auctor Dialogi de cauſis corruptae eloquentiae p. m. 656.* ad calcem TACITI, HORATIVS *Artis Poëtic. v. 315.* alii. Sed id ſibi volunt mul-

postea IO. BENZIVS locos illos communes generaliores in specialiores titulos disspescuit, ut ad colligendas sententias exempla quacumque in scientia inservirent. Et usus est postea eadem methodo (b) IOS. LANGIVS in *Adagiis Erasmi* concinnandis.

§. XII.

Quocumque modo Nomenclatores adornati fuerint, id in primis videndum est, ut non quaelibet voces congerantur, Latinae, purae, barbarae et novae. Qui enim omnia illa miscent, turbant iuventutem, quae omnia promiscue et sine delectu accipit et in usum transfert. Vnde postea lutulenta fit oratio, cum voces minus propriae propriis et puris miscentur, quod omnino vitandum est. Quam ob caussam neque COMENII scholastici labores, neque BECHERI *Nomenclator* ad usus scholae

multa, quae saepius magnopere laudantur, artificia Rhetorica, vt homines a rerum omnium cognitione relicti tamen, quod dicant, reperiant, Atque vtinam civilis eloquentiae limites non migrasset, nec in sanctiorem eloquentiam transiisset perversa haec et perniciosa ratio!

(b) *Ios. Langius)* Ille *Erasmi* adagia et alias sententias veterum, quae proverbiorum loco sunt, hac ratione dispositas edidit *Argentor. 1596. in 8.*

lae adhibendus est, cum multae voces, phrasesque sordidae illic misceantur. Laudanda ergo est industria (c) CHRISTOPH. CELLARII, qui *Latinitatis probae et exercitae librum memorialem* scripsit in puerorum usum, secundum voces primitivas et derivatas dispositum, quorsum refert nullas, nisi Latinas purasque, voces et phrases. Consulere ille tantum memoriae puerorum voluit et recte cavit, ne memoriae imprimerentur statim cum prima informatione barbarae voces. Quare et illa omisit, quae vel technica sunt et raro occurrunt in oratione civili, instrumenta variarum artium, ab usu remotam animalium pisciumque nomenclaturam, et illa tantum posuit, quae essent civilis et quotidiani usus. Cetera enim si forte occurrant in oratione, ut raro occurrunt, evolvi in *Nomenclatore* IVNII vel aliis Lexicis possunt. Nam de illis puer et eloquentiae tyro non admodum sol-

(c) *Christoph. Cellarii)* Quum omnes merita huius viri in Romanum sermonem sciant, nec quisquam facile vtilitatem et Historiam libri, quem hic auctor merito laudat, ignoret, supervacaneum duxi aliquid addere. Similiter sequentem §. augere nolui. Liber conscribendus esset illi, qui hoc argumentum ex instituto enarrare vellet. Mitto alienum illud esse ab eo, quod sibi in primis auctor proposuit.

ſollicitus eſſe debet, ſatisque linguae Latinae peritus erit, etſi non omnia artium mechanicarum vocabula, omnesque animalium ſpecies ſuo nomine appellare novit. Vix enim vel ipſa lingua Latina florente cives Romani fuerunt, ut neque nunc in Germania Germani ſunt, qui omnium rerum Nomenclaturam accurate norunt. Potior ergo illorum, quae in vita civili, in actionibus, in commerciis hominum occurrunt, cura habenda. Et ad illa reſpicit quoque BENZIVS, qui magna diligentia, magnoque iudicio in his puras voces et phraſes collegit, earumque Synonyma, reliqua vero tantum recenſuit, quae ita nude poſita ſine ulla phraſeologia per ſe oſtendunt, vel nullum, vel rarum earum uſum in civili oratione eſſe.

§. XIII.

Nomenclatorum non in Latina tantum, ſed in variis linguis magnus eſt numerus. Ita habemus *Nomenclatorem Biblicum Hebraeo-Latinum* ANTON. HVLSII. DAVID COHEN DE LARA promiſit *Nomenclatorem Rabbinicum*, cui titulus: *Beth David*, NATHAN. DVEZ extat *Nomenclatura quatuor linguarum*, Gallicae, Italicae, Latinae, Germanicae. IO. MICHAEL MOSCHOROSCH ſcripſit *Technologiam Gallico-Germanicam*, quam IO. CASP. HER-

HERMANNVS adauxit. *Nomenclatorem Latino-Danicum* in duas nominum ac verborum partes divisum, elegantem sane et doctum, STEPHANVS IO. STEPHANIVS in usum scholarum Daniae et Norvagiae concinnavit. *Nomenclatorem Latino-Svecicum* HENR. KAISER conscripsit. Quatuor Europaei orbis idiomata, scilicet Latinum, Svecicum, Germanicum et Venedicum sive Finnoticum ERICVS SCHROEDERVS, Vpsaliensis, *Nomenclatore Latino-Scandico* proposuit. Ita sunt *Nomenclatores linguae Georgicae, Epiroticae,* qui in usum Collegii de propaganda fide editi sunt autore FRANC. BLANCHO. RAYMVNDVS BRETHONVS *Nomenclatorem Caraibo-Gallicum* scripsit ad melius intelligendam Caraiborum linguam. *Linguae Japonicae Nomenclator* a quodam DIDACO COLLADAS, Praedicatorum ordinis, scriptus est. Sed illi non sunt huius loci, quo tantum de lingua Latina solliciti sumus.

CAP. VII.

CAPUT VII.

De Lexicorum et Indicum scriptoribus.

§. I.

A Nomenclatoribus ad *Lexica* et *Lexicos scriptores* venimus, qui a Nomenclatoribus non differunt, nisi quod maiori cura et sollicitudine vocabula Latinae linguae tractent. Nomenclatores enim in nuda nominum recensione subsistunt sine operosa auctorum citatione. Lexica vero plenius omnes voces et phrases cum exemplis additis proponunt et differunt a *Glossariis*, quod *Glossaria* voces etiam promiscuas, puras, impuras, obsoletas, novas consignent, verbisque alterius linguae notioris explicent. Talia habemus *Glossaria Graeco-Latina* satis vetusta: habemus etiam Latino-Teutonica et Teutonico-Latina tempore Caroli M. vel proxime post scripta, quorum usus non tam in Latina Lingua, quam in Germanica non contemnendus est. Est et in Bibliotheca (d) Academiae nostrae recentius *Glossarium*

(d) *Academiae nostrae*) Kiloniensis, in qua vixisse notum est MORHOFIUM. Vir illustris, GOD. GUIL. LEIBNITIUS, quo nemo harum rerum aetate nostra fuit peritior, non mediocre

ſarium Teutonico-Latinum, quod inſcribitur Teutoniſta ſive der Teutſchländer, a Cancellario Cliveníi, GERHARDO de SCHVREN, ſcriptum.

§. II.

(e) Perfectum et abſolutum in Latina lingua *Lexicon* hactenus non habemus. Felicior ea in parte Graeca lingua eſt. Eſt enim HENR. STEPHANI *Theſauro Graecae linguae* nihil perfectius, qui quatuor vel quinque Tomis prodiit, magna cura et diligentia congeſtus, et poſtea a SCAPVLA in novum ordinem recoctus, cum magno auctoris detrimento. (f) Deſiderat tamen in

cre huic *Gloſſario* ſtatuebat pretium: id quod V. C. SEB. KORTHOLTVM, amicum noſtrum, mihi narrare memini. Ceterum *Lexica* a *Nomenclatoribus* in eo etiam differunt, quod illa ad ordinem litterarum ſemper ſint congeſta, hi vero non ſemper.

(e) *Perfectum et abſolutum)* De lexicis generatim multa collegerunt IO. MOELLERVS in limine libri, quem *Homonymoſcopiam* inſcripſit et vir doctiſſimus, TOB. ECKHARDVS in *Praef. Technicae ſacrae, Quedlinb. 1716. in 4.* editae. Conferendus etiam omnino ipſe erit MORHOFIVS in *Polyhiſtore Tom. II. Libro IV.* cuius c. IX. p. 820. *de Lexicis Latinis* commentatur.

(f) *Deſiderat tamen in illo)* Egregium licet opus ſit *Theſaurus* STEPHANI, paſſim tamen viri

in illo STEPHANI *Thesauro* multa IO. CONR. DIETERICVS, Professor Giessensis, in *Chrestomathia Graeca*, ubi promit-

viri Graece doctissimi variis eum maculis et naevis laborare, neque pro perfecto haberi posse, docuerunt. Audiamus ex multis eruditissimi viri, IO HENR. MAII, filii, verba ex *Notis ad Orat. Basilii M. de legendis Graecorum libris p. 69: Quod bona lectoris venia fiat, ex occasione Stephani thesaurum et emendabimus et augebimus. Stephani, inquies, thesaurum, quo nihil absolutius vidit Hellas? Scio multos dari, qui et illius et reliquorum Lexicographorum decreta, ut τεμένων ἱερὰ observant: nobis vero aliam dedit mentem Deus O. M. Notavimus in thesauro illo multa admodum, aut non ita, ut par erat, aut non plene satis exposita: quin et aliquot congessimus Chiliadas vocabulorum ab eo praetermissorum quibus auctius olim reddere splendidum opus decrevimus.* Idem IO. IENSIVS multis monet *Lection. Lucianeis Lib. III. cap. I. p. 309.* sq. ubi centum et quinquaginta ex solo LVCIANO vocabula proponit, quae in STEPHANI *thesauro* frustra quaeruntur. Addidit etiam IO. GRAMMIVS, vir uti omnis eruditionis, ita Graeci sermonis intelligentissimus, ingenioque praeditus peracuto, Graecarum litterarum Professor Hafniae, *Historiae Deorum ex Xenophonte Hafn. 1715. in 4.* a se editae, *Specimen Supplem. Lexicor. Graecor. ex Xenophonte p. 111. - - 159.* Hoc viro nemo foret aptior

mittit, ſe additamenta quaedam ad illum *Theſaurum* non contemnenda divulgaturum. Sed labor ille huius viri morte intercidit. Ceterum in Graeca lingua ſubſidio ſunt varia illa Gloſſaria, quae nobis ſuperſunt, de quibus lege MAVSSACVM in *Praef. Notarum ad Harpocrationis Lexicon* et BOECLERVM in *Diſſ. de Lexicis*, tum et CAROL. du FRESNE in *Praefat. Gloſſarii ſui Graeci.*

§. III.

In Latina lingua omnis Lexicographorum cura tumultuaria eſt. Poſt veteres enim iſtos gloſſatores, PAPIAM vocabuliſtam, auctorem *Catholici*, NESTOREM *Novarienſem*, *Gemmam gemmarum* WERDENAE, IO. de IANVA, SIMONEM IANVENSEM, primus eſt, qui Lexicographi Nomen mereatur, NICOL. PEROTTVS, epiſcopus Sipontinus, cuius opus *Cornu copiae* inſcriptum, ſimul *Commentarium in MARTIALEM* et *Lexicon* exhibet: cuius optima editio *Venetiis* prodiit 1513. cum quibusdam veteribus Grammati-

ad novam eamque locupletiorem STEPHANI editionem adornandam. Mitto alia. De *Lexicis* ceterum *Graecis* omnium eruditiſſime commendatus eſt IO. ALB. FABRICIVS et *peculiari Exercitatione* et in *Bibl. Graeca.*

maticis. Hoc *Cornu copiae* in suos sinus effudit AMBROSIVS comitis *de Calepio* filius, qui *Lexicon* suum ex illo primum concinnavit, multis virorum doctorum censuris vexatum. Mira tamen huius hominis fortuna fuit, qui, cum nihil de thesauris suis in hunc librum contulerit, toties tamen ille auctus et recoctus fuit, viris doctis passim quaedam de suis adiicientibus, ut CALEPINVS ille cum tot linguarum adiectione magnum in volumen excresceret. Tandem quoque (g) nova eius editio hoc seculo prodiit *Lugduni* A. 1647. et novi quidam emendatores in titulo libri laudantur PASSERATIVS et LVDOV. de la CERDA, (h) non quod hi fuerint tales, sed quod typographus eorum nomine in fraudem abusus fuerit.

§. IV.

Tandem quoque hac in parte e STEPHANORVM familia ROBERTVS huic

(g) *Nova eius editio)* De qua videatur OLAVS BORRICHIVS Diss. *de Lexicis Latinis et Graecis* §. II. ad calcem *cogitat. de aetatibus linguae Lat.* p. 42. qui eam editionem valde contemnit et multorum naevorum accusat.

(h) *Non quod hi fuerint tales)* Id unde exploratum habuerit, non docet MORHOFIVS. Itaque fidem ei non statim arbitror habendam esse.

defectui in Latina lingua subvenire voluit, qui in lucem edidit *Thesaurum Latinae linguae* tribus *in folio* tomis. Prodiit vero A. 1543. Mira iste liber fata habuit. Nam velut ad aliquod cadaver vultures convolarunt, qui mira impudentia, auctoris nomine deleto, suum praeposuere, quemadmodum Caligula statuis antiquis capita deiecit, suum reposuit. Nam COELIVS CVRIO postea titulo *Fori Romani* edidit et THEODOSIVS TREBELLIVS sub titulo *Promtuarii*, ne apice quidem addito aut immutato. Postea eundem librum PHILIPPVS TYNGHYVS, Florentinus, *Lugduni* evulgavit A. 1573. a NIZOLIO prius emendatius *Venetiis* editum, a se vero multis additamentis locupletatum, quo tamen et ipse alios fallit. Sunt vero multi in hoc opere, etsi omnium hoc perfectissimum, defectus, quos iam tum notavit (i) BORRICHIVS in *Disput. de Lexicorum ieiunitate*. Permotus his defectibus fuit (k) ROBERTVS CONSTANTINVS,

(i) *Borrichius in Disp.)* Nec non in *Appendice de Lexicis Graec. et Latin.* §. III. p. 43. libro *de variis linguae Lat. aetatibus* subiecta.

(k) *Rob. Constantinus*) De hoc diligentissime omnium egit PETR. DAN. HVETIVS, libro Gallico: *De originibus urbis Cadomi* Cadomensis enim fuit CONSTANTINVS

Volui

NVS, ut *Supplementum Latinae linguae* A.1573. ſcriberet, quo habentur illae voces, quae tum in STEPHANO, tum in CALEPINO non occurrunt. Huius ROBERTI STEPHANI *Theſauri* Hiſtoriam una cum ceteris, quae ad vitam ſcriptaque eius reliqua pertinent diligenter congeſſit THEOD. IANSONIVS (l) ab ALMELOVEN in libro *de vitis Stephanorum.*

§. V.

Poſt *Theſaurum* hunc in lucem prodiit *Lexicon trilingue*, cum additamentis FRISII A. 1612. publicatum *Argentorati:* quod *trilingue* ideo dicitur, quoniam Latinam, Graecam, et Germanicam linguam iungit. Lexicon hoc STVRMII conſilio e ROB. STEPHANI *Theſauro* contractum eſt, ita tamen, ut phraſeologia integra ſit, qua praecipue commendari ROB. STEPHANI *Theſaurus* debet. Etſi enim ROB. STE-

 PHA-

Voluit et ANDR. BORRICHIVS, ut ipſemet teſtatur *Praef. Append. ad curas poſter. Cellarii*, collectionem edere omnium vocabulorum Latinorum aureae, argenteae et aeneae aetatis, quae in *Foro Romano* non extant.

(l) *Ab Almeloven)* Et poſtea MICH. MATTAIRE in *Hiſtoria Stephanorum.* ALMELOVENII liber hodie rarior eſt et pretio haud exiguo in Batavia venditur.

PHANVS ipſe *Compendium Theſauri* ſui ſcripſit lingua Latina et Gallica, tamen phraſeologia illa, qua potiſſimum Theſaurus ille excellit, omittitur. In illo vero FRISII *Lexico trilingui* phraſeologia, quoad fieri poteſt, integra retinetur, adiecta interpretatione Germanica. Aliud quoque *Lexicon*, quod *Baſileenſe* dicitur, LVDOV. LVCII opera collectum et ex illo ROB. STEPHANI *Theſauro* congeſtum eſt duobus Tomis: quorum primus habet NIZOLII *Lexicon Ciceronianum*, alter vero congeſtus eſt e ceteris auctoribus claſſicis et ex illo *Theſauro* depromtus. Haec duo Lexica poſt ROB. STEPHANVM ceteris ſunt praeferenda. Phraſeologia enim in illis uberior eſt, quam in ceteris, quae potiſſimum ad Lexici perfectionem pertinet. Nam quod ad Nomenclaturam attinet, ea in Lexicis poſt illa tempora evulgatis uberior eſt. Phraſeologiam ex hoc *Foro Romano* congeſſerunt IOSAEVS et WENDELINVS in *Medulla Latinitatis*, addita Germanica interpretatione et Germanico indice in uſum incipientium. Qui liber ideo laudari meretur, quod copiam phraſium congeſtam ſub verbis habeat. Etſi illae non ſunt ſelectae et autorum appoſitione notatae, quod tamen praecipue fieri debebat et abſtracte ita formentur, non in-

tegris

tegris sententiis adductis, quod itidem fieri debebat, cum de phrasi iudicium ferri non possit, nisi ex appositione subiecti et sententia integre percepta.

§. VI.

Prodiit quidem post *trilingue* illud *Lexicon* et LVDOVICI LVCII *Basileense*, HENR. DECIMATORIS *Thesaurus*, sed longe post priores illos ponendus. (m) Multi enim in illo thesauro sunt carbones, lutulenta et sordida multa, quorum lectio officiet puritati linguae Latinae. Multae sunt in SIBERI, Professoris Wittebergensis, opusculis epistolae, quae hunc DECIMATOREM graphice depingunt, eiusque barbarismos et ineptam phraseologiam ob oculos ponunt. Queritur enim vir ille doctissimus, pessimo consilio scholarum informationi adhiberi hunc DECIMATOREM, ex quo etiam epitome quaedam sub nomine *sylvae* prodiit.

§. VII.

Fuere et alii, qui haec ROB. STEPHANI vineta caedere deprehensi sunt, et transmutato habitu libros Lexicos dedere.

 (n) In-

(m) *Multi enim)* At BORRICHIVS tamen *de Lexicis Graec. et Lat. §. IV. p. 46.* non uno nomine DECIMATORIS *Thesaurum* commendat et FRISII *Lexico* praefert.

(n) Inter quos notatur STEPH. DOLETVS, qui ſub titulo *Commentariorum linguae Latinae* duos domos publicavit *in folio*. Silvam ille omnem verborum et phraſium e STEPHANI *Theſauro* congeſſit, ſed quae illic inter ſe confuſa erant meliori ordine digeſſit, propria ſeiungens a translatis, ſignificationesque varias, coniunctiones verborum cum ſubiectis, cum particulis ſeorſim poſuit, ut ita videretur alius et recens labor, qui tamen idem eſſet. Facillimum enim erat, quae ROB. STEPHANVS congeſſerat locis ſeparatis ponere. Tertium ille Tomum addere voluit, ſed intervenit fatum viri, vivicomburio ob purioris religionis profeſſionem affecti. Non tamen inutilis eſt liber et ob ordinem illum laudandus.

§. VIII.

Prodiit deinde BASILII FABRI, Sorani, *Theſaurus eruditionis Scholaſticae*, ab auctore poſt triginta ſex annorum in docendo labores *Erfurdiae* 1571. editus et poſtea ab AVG. BVCHNERO recognitus, multisque acceſſionibus locupletatus, *Lipſiae-que*

(n) *Inter quos - - Doletus)* Evolvendi hic erunt IAC. THOMASIVS *de plagio litterario* §. 409. ſq. et PETR. BAYLIVS *Dictionaire Tom. II.* voce *Dolet* Not. B. p. 1011.

que A.1655. editus. Qui liber ideo laudari mereretur, quod linguam Latinam ad primitiva sua reduxerit, derivatas et compositas voces primitivis suis subiiciens. BVCHNERI quoque non contemnendus labor accessit, qui multas observationes singulares Philologicas adiecit. Phraseologia vero non tam locuples illic est, quam in *Foro Romano.* Quanquam autor ipse BASILIVS diligens fuerit in observationibus ex autoribus classicis instituendis, ut videre licet ex illis observationum locis, quos e CICERONIS epistolis familiaribus collegit, *Lipsiae 1576. in 8.* editis et ex eiusdem libello *de Synonymia Terentii Lips. 1562. in 8.* edito. (o) Idem *Thesaurus* FABRI postea

(o) *Idem Thesaurus)* Quum noti sint CELLARII, STVBELII, FALSTERI et aliorum virorum eruditorum in Thesauro hoc FABRI expoliendo, emendando et locupletando labores, nihil addo, praeter id unum, florentissimi ingenii, nec vulgaris doctrinae virum, IO. MATTH. GESNERVM in eo versari, ut observationibus curisque suis ditiorem eum denuo emittat. An vera sint, quae THOM. CRENIVS *Exercit. III. de libris scriptor. optimis, et utilissimis p. 43.* monet: *Fabri Lexico diffidas in quantitatibus, ut hac parte Thesauro Decimatoris inferiori longe*; id illi dispiciant, quibus otium est et harum rerum peritia.

ſtea editus eſt curante IAC. THOMASIO et noviſſime cura CHRIST. CELLARII, qui et indicem phraſeologicum ſubiecit. Sed parum acceſſit per induſtriam CELLARII: nam ea tantum quae in *Anti Barbaro ſuo* et in *Curis poſterioribus* obſervaverat, adiecit, ut itaque gloria *Foro Romano* ſalva maneat. Nam certe phraſeologia locupletisſimum illud hactenus Lexicon eſt prae ceteris omnibus. Negari tamen non poteſt, Nomenclatura interdum deficere omnes quotquot ſunt Lexicographos, et ea parte ſuperari a (p) GEORGIO MATTH. KOENIGIO in *Gazophylacio Latinitatis*, quod nunc poſt omnes prodiit multis vocibus locupletatum, quae in ceteris illis fruſtra quaeruntur. Multa enim huic Lexico acceſſerunt e communicatione CHRIST. DAVMII, viri in his rebus exercitatisſimi, qui vaſtos libros Lexicos omnium vocum Latinarum etiam barbararum et ſequioris aetatis congesſit, nondum editos, et fortaſſe nunquam edendos.

§. IX.

In his ſubſtitit hactenus cura Lexicographiae

(p) *Georg. Matth. Königio)* Huic laboris eius ſuſcipiendi auctor fuit DILHERRVS, adiutores DAVMIVS et STYRZELIVS, id quod ipſemet in *Praefat.* nos docet.

phiae Latinae, neque quisquam repertus eſt, qui verum aliquod et univerſale Lexicon congeſſerit. Nam qui praeter hos a nobis enumeratos fuere, ut CORVINVS, WEISIVS, CALVISIVS, compendia tantum ſcripſere et intra vota eruditorum hactenus ſubſtitit Lexici univerſalis Latini labor. Fuit quidem (q) HOFMANNVS, Profeſſor Baſileenſis, qui *Lexicon* aliquod *univerſale* edidit, quo continentur Nomenclaturae variarum rerum, vaſtum ſatis et copioſum, neque inutile, ſed quod ad Latinitatem nihil confert. Congeſſit ille plurima e Commentariis Philologicis et Criticis, praecipue e SALMASII *Commentario in Solinum*, ſed in notandis auctorum locis, unde depromſit ſua inſidioſe, plane negligens eſt. Unde incertum eſt lectori, cui debeantur iſtae obſervationes, ſpeciemque illa res habet, quaſi HOFMANNI ingenio et labore omnia eſſent notata, cum tamen ille nil niſi operam collectionis praeſtiterit.

§. X.

(q) *Hofmannus*) Lexici *Hoffmanniani* Hiſtoriam, nec non de auctore eius quaedam ſcitu iucunda narrat ROVVIERIVS *Voyage du Tour de la France p. 61.* Lexicorum ceterum Latinorum Hiſtoriam, quam hic noſter dedit, iis relinquo perficiendam, ad quos cura haec in primis pertinet.

§. X.

(r) Particulatim Lexicorum laborem ſuſcepere viri eruditi in ſingulares auctores, qui certe laudandus eſt, optandumque eſſet, ut plures huic methodo inſiſterent, unde ſpes eſſe poſſit *Lexici univerſalis* concinnandi, ſi operam hanc per plures diviſam unus in ordinem redegerit et ex multis Lexicis particularibus univerſale aliquod confecerit. Ita ex operibus CICE-

(r) *Particulatim)* Non leve ſpecimen hic edidit auctor noſter accuratae ſuae et diffuſae in omni litterarum genere eruditionis. Virum etenim tot graviorum rerum meditationibus deditum quis credidiſſet tam diligenter indices in auctores evolviſſe, ut de ſingulis ſolide et erudite ſententiam poſſet dicere? Monuit et quaedam non prorſus ſpernenda de Indicum ſcriptoribus univerſe BALTH. SCHEIDIVS in *Praef. Indicis in Herodianum*, qui in *Boecleri* extat auctoris huius editione. Conferri ceterum debent, quae hic congeſta ſunt, cum illis, quae ad ſingulos auctores Latinos plerumque etiam de Indicibus in illos notavit vir ſupra laudes meas poſitus, IO. ALB. FABRICIVS in *Bibliotheca Latina*. Quae MORHOFIVS affert vel idcirco commendanda ſunt, quod iudicium ſemper de pretio indicis adiunctum habent. In pleroſque Latinos auctores BORGESIVS, Gröningenſis haud ita pridem Profeſſor, elaboratiſſimos fertur indices reliquiſſe.

CICERONIS *Thesaurum* suum congessit NIZOLIVS non contemnendo labore, etsi non desint in illo, quae censuram mereantur. Nam HENR. STEPHANI singularibus libris, quos (s) *Pseudo-Ciceronem* sive *Nizolio-Didascalum* sive *Monitorem Ciceronianorum Nizolianorum* inscripsit, eius libri defectus ostendit. Est et (t) *Thesaurus Ciceronianus* ab ANTON. SCHORO editus, post NIZOLIVM quidem scriptus, sed maiori consilio congestus et digestus, etsi alter ille NIZOLII index plenior sit et copiosior multitudine exemplorum. Editio illius melior est, quae cum interpretatione et Germanico indice *Argentorati* prodiit 1597. NIZOLII index postea a SCHORO revisus est et *in 4.* sub titulo: *Apparatus Latinae linguae* editus, cum adiectione Epithetorum, Antithetorum

(s) *Pseudo-Ciceronem sive)* Duo sunt distincti libri STEPHANI *Pseudo-Cicero* et *Nizolio-didascalus.* Recte observavit FRANC. VAVASSOR *de vi et usu verbor. quorund. Latin. p.565.* NIZOLIVM falso multa CICERONI tribuere, quae aut numquam ille, aut alio longe sensu usurpavit.

(t) *Thesaurus Ciceronianus)* Eius, libri certe utilissimi, novam nunc et emendatiorem molitur editionem Bremae, iuvenis ornatissimus GEORG. HENR. RIEBOW.

rum et Synonymorum. Singularium illorum, quae in CICERONE occurrunt, Index aliquis peculiaris extat in FROBENII *Penu Tulliano*, ex quo apparet, librum, quem STATILIVS olim ſcripſit, *de ſingularibus* CICERONIS, vocibus phraſibusque non vulgaris uſus fuiſſe refertum. In PLAVTVM extat *Index* PAREI, ſed exiguo iudicio confectus. Fuit enim PAREVS compilator alienorum laborum, nihilque aliud hic praeſtitit, quam ut TAVBMANNI *commentarium* exſcriberet et in Indicem congereret. Ceteroquin PLAVTI et TERENTII *phraſeologiam* BARTHOL. FEIND, Collega ſcholae Hamburgenſis, uno libro congeſſit, ſub titulo: *Horti Comici*. In TERENTIVM extat *index* KOCKERTI et BÖCLERI ſub titulo *Chreſtomathiae Terentianae*, quae iungitur *Commentario* eius in TERENTIVM. In CORNELIVM NEPOTEM extat eiusdem BÖCLERI *index*, auctus poſtea a IOH. VORSTIO et locupletiſſimus tandem in editione BOSII. In VIRGILIVM indicem habemus luculentiſſimum NICOL. ERYTHRAEI, ſed qui ad Nomenclaturam et phraſeologiam non multum confert. Ille enim eo fini Indicem hunc collegit, ut eo facilior ſit ſententiarum et verborum indagatio. Multiplica-

ta

ta enim sunt multa nomina, multae phrases, coniunctiones, quae attendi non merebantur, si solius phraseologiae res acta fuisset. In LVCRETIVM, cuius venustissima Latinitas est, etsi multae in illo voces et phrases occurrunt extra hoc argumentum non bene usurpandae, indicem scripsit, qui commentarii vice esse possit OBERTVS GIFANIVS: sed brevior est, quam ut omnia auctoris huius singularia exhauriat. Etiam hunc pro more suo compilavit (u) plagiarius, DANIEL PAREVS, cuius extat *Lexicon Lucretianum*, auctius quidem, quam index ille GIFANII, sed locis parallelis non necessariis refertus. Cui enim bono est ex. gr. adeo sollicite notari loca illa, ubi reperiatur, *omne, omnem, omni, omnes, omnia, omnibus?* Addi debebant hic substantiva vel verba, ut ex his iudica-

(u) *Plagiarius Pareus)* Supra etiam furti litterarii PAREVM, editorem PLAVTI, postulat MORHOFIVS. At non idem PAREVS, qui PLAVTVM edidit, LVCRETIO etiam manus admovit. DAN. PAREVS LVCRETIVM, PHIL. PAREVS PLAVTVM illustravit. Nescio igitur, an utrumque PAREVM eius criminis reum censuerit, an vero memoriae vitio PHILIPPVM cum DANIELE, qui multis *plagiarius* audit, confuderit vir doctissimus.

dicari posset de sententia, si fortassis in sententia investiganda aliquis esset sollicitus. Longe sollicitius indicem suum in PROPERTIVM instituit PASSERATIVS, qui praemittitur *Commentario* eius in CATVLLVM, TIBVLLVM, PROPERTIVM. Omnes enim PROPERTII versus ordinavit secundum voces singulas et particulas, ut una interdum sententia sex, septem locis recurrat et quidem integre posita, quod et ad phraseologiam prodest et ad minutissima loca PROPERTII investiganda. Extat quidem et HORATII TVSCANELLAE *index in Catullum, Tibullum, et Propertium* simul iunctos, qui prodiit *Francof. 1621. 8.* sed multum differt ab hoc PASSERATII labore. Est enim imperfectus tum ratione ipsius collectionis, multa enim omittit, quae ponere debuisset, tum ratione vocum positarum. Statim enim ab initio in particulis *A* et *Ab* numero quidem multa apposita sunt, sed de usu illarum particularum nihil constat, nisi loca illa citata cum summo taedio evolveris, quae omnia integre posita sunt in Indice PASSERATII. Similis ille labor mihi videtur ineptae Rabbinorum diligentiae, qui singularum litterarum per totum codicem Ebraeum numerum ineunt. Praeclarus ille erat labor Indicis in omnia OVI-

DII

DII Opera, quem meditatus est M. GEORGIVS MEYWALD, Scholae Lignicensis Con-Rector, cuius ille Prodromum edidit *Lipsiae 1684. in 8.* Titulus integer libri ita habet: *P. Ovidii Nasonis transformati Prodromus, hoc est, Indicis, Lexici et Thesauri Ovidiani absolutissimi particula, complectens omnes praepositiones ab auctore dicto usurpatas cum substantivis, ordine Alphabetico sic digestis, aliisque vocabulis additis, ut integrum ubique sensum exhibeat et loca omnia, in quibus occurrit ulla praepositio, monstret.* Addidit praefationem de usu huius indicis, qui se ipsum satis prodit. Neque enim ad invenienda loca OVIDII tantum proderit, sed et carmen aliquod scripturis inserviet mirifice; imitationem enim faciliorem reddit. Ac optandum esset, tales nos habere indices non OVIDII tantum, sed et VIRGILII aliorumque poëtarum. In HORATII poëmata extat index THOMAE TRETERI *Antwerp. 1575.* editus cum ipsius HORATII poëmatibus, illiusque paginis applicatus. Hunc postea expolivit DANIEL AVEMANNVS atque ita instituit, ut omnibus HORATII editionibus applicari posset, non paginis, sed ipsis carminum libris et versibus notatis. Prodiit ille sub titulo *Hodegetae Horatiani Brunsv. 1667.* editus. Non

contemnenda opera index ille concinnatus est, satis enim copiosus est, nec male ordinatus. TRETERVS suum indicem, ut in *Praef. ad Lectorem* testatur, ad Lugdunense exemplar, quod apud SEBAST. GRYPHIVM A. 1545. impressum, et denuo ab eodem A. 1554. editum concinnavit, numerorumque rationem ad illa exemplaria accommodavit. Quare excusat, si qui forte sint in hac editione errores paginarum, cum illa *Antwerpiensis* editio non adeo accurate respondeat editionibus Lugdunensibus. Bene ergo de HORATIO et de hoc indice meritus est AVEMANNVS, qui ad librorum ordinem et versuum numerum eum Indicem reformavit. Meminit quidem OLAVS BORRICHIVS in *Diss. de Lexicorum Latinor. ieiunitate Indicis* alicuius *Horatiani*, quem confecerit LEVINVS TORRENTIVS et DE MARES. Verum illi mihi hactenus non visi, neque ego TRETTERIANVM illum eos superare crediderim, adeo locupletem, ut nihil ferme occurrat in omnibus HORATII poëmatibus, quod eius beneficio indagari non possit. In LIVIVM, cuius opus prolixius est, quam ut perfectus in illud Index conficiatur, nunc tamen habemus *Indicem Freinshemianum* posthumum, quem ipse moriens heredibus reli-

reliquit una cum integro Livianorum librorum supplemento, a DOVIATIO una cum LIVII opere et supplementis, aliquot Tomis in IV. publicatum. DOVIATIVS illum vehementer commendat, sed quoniam libri pretium ob additionem librorum Livianorum augetur, operae pretium faceret aliquis typographus, si Indicem et supplementa seorsim ederet. Eiusdem FREINSHEMII opera plures sunt indices confecti, ut index in FLORVM, index in CVRTIVM, qui novissima illa editione, quae *Argentor. 1670. in 4.* prodiit, extat quam locupletissimus et eo quidem modo adornatus, ut *Lexici Curtiani* titulum omnino mereatur, et ideam illis dare possit, qui similem operam moliuntur. Extat in TACITVM index cura FREINSHEMII confectus, editusque cum ipsius TACITI opere *Argentor. 1664. in 8.* curante MATTH. BERNEGGERO: sed non est ille labor cum ceteris FREINSHEMII indicibus comparandus et longe minore cura confectus. Multa enim sunt in TACITO brevis et argutae dictionis scriptore, quae notari merebantur, et saepe loca TACITI inquirentes index ille destituit. In JVSTINVM BERNEGGERI index laudari potest, etsi non usque adeo

absolutus. IOH. VORSTIVS postea IVSTINVM cum pleniore indice dedit. In PHAEDRI elegantissimas fabulas extat quoque IOH. FREINSHEMII index sic satis plene instructus et, quod laudari in omnibus Freinshemianis indicibus debet, obscuriora verba brevibus notulis sunt illustrata. Quam rationem quoque KOCKERTVS in *Indice* suo *Terentiano* sequitur. In MARTIALEM extat index JOSEPHI LANGII, sed brevis et levi cura confectus. Singulae enim voces plerumque notantur, non iunctae, ut in phraseologiae usum fieri debebat. Singulis enim vocibus tantum positis labor ille relinquitur observatori, ut denuo in ipso libro loca evolvat atque inter se examinet et conferat. Quare praeferri omnino illi meretur NICOL. PEROTTI *Cornu copiae*, Lexicon scilicet, quod in MARTIALEM scripsit. Extat et BOECLERI index in VELLEJVM PATERCVLVM merito landandus, ut eiusdem viri indices in TERENTIVM et NEPOTEM eadem industria, ut indices Freinshemiani, confecti. Qui praeter hos a nobis memoratos indices scripti sunt, absoluti indicis nomen non merentur, talis scilicet, qui Lexici instar esse possit. Ita extat BALDI VRBINATIS Index in VITRVVIVM sive, ut ille inscribit, *Liber*

de

de Vitruvianorum verborum ſignificatione; verum ille non omnem Vitruvianam phraſeologiam complectitur, ſed illas tantum voces recenſet, quae ad architecturam pertinent. Extat et GONSALII de SALAS et BOVRDELOTII *Gloſſarium* in PETRONIVM; ſed imperfecti illi labores, et *Gloſſarium Bourdelotianum* pauculas tantum voces rariores explicat. THEOD. PVLMANNI in LVCANVM index, PRICAEI in APVLEII *aſinum* breviores ſunt, quam ut omnia comprehendant. HERMOLAI BARBARI (x) in PLINIVM index ad res potius, quam ad verba pertinet, uti et RHODII in SCRIBONIVM LARGVM. HOLSTII plenior fuit index in CELSI opera et plane ad Latinitatis genium indagandum compoſi-

(x) *In Plinium)* Hafniae viros fide dignos et eruditiſſimos audivi, quum dicerent, OTTON. SPERLINGIVM, notum inter viros litteratos nomen, extremis vitae ſuae temporibus multum ſtudii et diligentiae in conficiendo *indice Pliniano* conſumſiſſe. Latet iſte labor fortaſſis nunc inter cetera, quae moriens vir doctisſimus reliquit, ingenii monumenta in Bibliotheca Regia Hafnienſi. Memorat idem SPERLINGIVS in epiſtola, quam manu exaratam ſervo, parentem ſuum, Medicum eruditisſimum, in PLINIVM commentarios reliquiſſe.

positus, quem ille, dum viveret, molitus est. Sed in lucem non prodiit iste labor, immortuo scriptis suis auctore, qui non tantum plenum in res Medicas commentarium concepit, sed et omnia huius auctoris Grammatica et Philologica accuratissimo indice congessit. Et sane dignus erat ille auctor accurati commentatoris industria, neque immerito ob cultam Latinitatem *Medicorum Cicero* vocari solet.

§. XI.

Hi sunt, quos meminisse nunc quidem possumus, indices in auctores confecti, quorum aliqui pleni et copiosissimi, aliqui tenues et ieiuni, aliqui non tam ad phraseologiam, quam ad rerum cognitionem instructi et in ipsis verbis et phraseologia exigui usus. Ex his tamen inter se collatis ornari et iuvari posset Lexicographica res. Nam si vel illis, quos prae manibus habemus, uti velimus, apparatum linguae Latinae habituri essemus, modo Lexicon aliquod locuples ad manus sumamus, inque eo illa, quae ex indicibus deficiunt, notemus. Si qui sint, qui Latinae linguae auctores, quorum indices accuratos non habemus, retexere in idoneos indices velint, eo modo, quo suos adornare solet FREINSHEMIVS, et postea operas suas inter se conferrent, spes esset, proditurum

tan-

tandem aliquando Lexicon univerſale linguae Latinae, quod in hunc diem non habemus. Etſi enim *Forum Romanum* ceteris melius et perfectius eſt, multae tamen in illo ſunt lacunae et defectus, quorum aliquod ſpecimen dedit OLAVS BORRICHIVS in *Appendice ad Analecta cogitationum de lingua Latina*, in qua ille pene ad quingentas voces notat in Latinis ſcriptoribus occurrentes, et quidem in ſola litera C. quarum nulla in illo *theſauro* mentio fit. Unde calculus facile iniri poteſt, quanta vocum ſeges in ceteris litteris ſit, quae ibi non reperiantur. Facile igitur vel ex hoc colligi poteſt, quanta ſit ceterorum Lexicorum ieiunitas, quae ad ROB. STEPHANI copiam non pertingunt, ne quid de oſcitantia in colligendis et dignoſcendis vocibus dicam, cum non deſint, qui ſordidas quoque et barbaras voces pro bonis et Latinis obtrudant, inter quos DECIMATOR ille haberi debet, honorificentius a BORRICHIO habitus, quam meretur. De quo poſt SIBERVM ſupra nobis citatum recte HENNING WEDEMANNVS in *Libro* ſuo *partitionum Tab. XI. p. 224. Illam Silvam Decimatoris nunquam natam eſſe oportuit, aut ſimulac nata erat, a cantharidibus et papilionibus depaſtam.* Praerogativa perfectionis Lexico-

cographicae in Graeca lingua HENR. STEPHANO remanet, in cuius *Thesauro* minimi sunt defectus, BORRICHIO etiam in illa *Appendice ad Analecta* notati. Omittuntur enim 1) non pauca 2) multi Graecorum librorum tunc temporis non erant publicati 3) multae significationes vocum notatarum omissae; qua de re BORRICHIVS illic legatur. Ceterum plenissimum esse Graecae linguae Lexicon, etiam Latinae linguae interest. Latina enim lingua plerasque voces et vocum formationes e lingua Graecâ accepit, (y) quod quidem veteribus Grammaticis notatum est, nemo tamen plene exsequutus. Moliebatur hoc opere integro (z) ARNOLDVS RHVMANNVS, cui titulum *Romae Atticae* fecerat, sed quod hactenus lucem non vidit, fato iam functo auctore. Opus tamen ipsum perfectum in Dania custodiri

(y) *Quod quidem veteribus Grammat.)* vid. COLOMESIVS ad Quintilianum, Opp. p. 359. GELLIVS Noct. Attic. Lib. I. cap. XVIII. p. m. 40. VOSSIVS ad Clenardi Grammat. Graec. p. 7. GATAKERVS de stylo N. T. Opp. T. I. p. 1. - 4. IO. NIC. FVNCCIVS de origine et pueritia linguae Lat. et alii, quos nunc haud iuvat commemorare.

(z) *Arnold. Rhumannus*) vid. de hoc opere BORRICHIVS *Analectis ad cogitat. de lingua Latin.* p. 40.

diri audio, cuius fragmentum prodiit *Hasniae 1679. in 4.* quod *Suburbium Romae* vocat. De litteris enim solis illic agit, reliquas partes huius operis pro ratione montium illorum, quibus Roma superstructa erat, inscripturus. Magnus talis operis usus in etymologia linguae Latinae foret. Promisit et CASP. SVICERVS in *Praefat. Thesauri Ecclesiastici Lexicon maius et minus Graecae linguae*, quorum illud tribus *in folio* Tomis absolvetur, in quo magnas multasque in Graeca lingua se daturum observationes pollicetur.

§. XII.

Optandum esset, ut in Latina lingua hunc Lexicographicum laborem operis divisis susciperent viri eruditi: quod nunc postquam multi indices in auctores confecti sunt, facile fieri posset. Profuerunt hi indices multum BORRICHIO in vocibus phrasibusque Latinis adversus VOSSIVM et SCIOPPIVM vindicandis. Quare et ipse hoc consilium suppeditat, ut plenum aliquod Lexicon indicum in auctores vel collectorum vel colligendorum conficiatur: quem laborem etiam nonnemo auctor, qui se (a) PIVM DESIDERIVM vocat,

(a) *Pium Desiderium)* Quisnam ille sit, equidem ignoro: neque apud PLACCIVM eius extat memoria.

vocat, suasit. Sed taediosus ille labor est et, e IOSEPHI SCALIGERI iudicio in quodam Epigrammate, omnes *poenarum facies is labor unus habet*, utilitate tamen publica molestiam hanc facile rependeret. Latitat adhuc in Schedis (b) cuiusdam advocati Patavini CASP. SCIOPPII *Mercurius seu Lexicon Latinae linguae* ad phraseologiam potissimum concinnatum, sed hactenus, quod miror, typographum invenire non potuit, qui suis sumtibus in lucem ederet, cum tamen, ut retulerunt, (c) periti eius rei indices, magna diligentia conscriptus ille liber sit. Quanquam, ut ego quidem existimo, plura aliorum industriae SCIOPPIVS debeat, ut (d) cui in more

(b) *Cuiusdam advocati)* IOH. MICH. PIETRVCCII, Professoris Iuris Patavini, ad quem quae reliquit SCIOPPIVS cuncta pervenerunt. IAC. GADDIVS *de Scriptor. non eccles.* Tom. I. p. 210. GREG. LETI *Italia regnante P. III. p. 325.* sq. Miror nullam huius libri mentionem fieri in *Indiculo librorum quos A. 1639. editioni paratos habuit*, qui ab ipsomet SCIOPPIO confectus in *Monum. Palatinis* extat *P. II. p. 424.*

(c) *Periti eius rei iudices)* MARQV. GVDIVM hoc sibi confirmasse, refert MORHOFIVS *Polyhistoris Tom. I. Lib. IV. c. IX. p. 825.*

(d) *Cui in more positum sit)* Ita *commentarios* Lati-

more positum fuit aliorum compilare labores, ut in *Grammaticis* FRANC. SANCTII fecit et in phraseologia SCHORI, quem in compendium traxit et sub titulo *observationum* edidit.

§. XIII.

Verum latentes thesauri nihil iuvant: nulla enim in publicum promanat ex iis utilitas. In Lexicographia praeter SCIOPPII laborem restat CHRIST. DAVMII *Lexicographicon opus* vastissimum et quod vix typographum inveniet. Meminit et NICOL. ANTONIVS in *Bibliotheca scriptorum Hispaniae* cuiusdam ANTONII de CIVDAD REAL, qui primum Professorem Toleti egit, postmodum in Incatani-

Latinae Linguae, quos promisit absolutissimos, et qui pariter Patavii latere perhibentur, OBERTO GIFANIO surripuisse dicitur. vid. *epistola Parei ad Dan. Tossanum, in Monum. Palatin. T. II. p. 463.* vid. et THOMASIVS *de plagio litter. §. CXLVI.* Sed an omnia quae de furtis eius feruntur litterariis firmo nixa sint fundamento, equidem vix ausim dicere. Credo fere, hominem, qui ingentem sibi conflaverat invidiam, fictis quoque criminibus ab adversariis interdum oneratum fuisse. Nondum extat perfecta SCIOPPII vita: quam qui diligenter et accurate in litteras referret, is eximium litterarum studiosis officium praestaret.

tanicam novae Hispaniae provinciam delatus semiseculo fere in ea mansit, qui *Calepinum* sex ingentibus scripserit voluminibus; quorum alterum exemplum adservari in Ducis Infantadensis Bibliotheca Carracensi, alterum in eiusdem urbis Franciscana domo, BERNH. LIZENA in *Historia sacra Incatanica c. XVI.* perhibet. Quid vero de eo iudicandum sit, non constat. Nunquam enim forte in lucem prodibit. (e) Quare vix spes superest, fore, ut plenius aliquod Lexicon latinum lucem videat.

CAPVT VIII.

De phrasibus earumque selectu et phraseologicis scriptoribus.

§. I.

SEiungimus *phrases* et *phraseologicos scriptores* a Lexicographis, non quod ad illos non pertineant, sed quod non ea cura, qua par est, Lexicographi in phrasibus notandis versentur: ut itaque auctores

(e) *Quare vix spes*) At si FABRI *Thesaurum* quemadmodum coeperunt, viri eruditi amplificare et emendare pergent, erit aliquando tempus, quo de perfecto Latinae linguae Lexico harum litterarum cultores gaudebunt.

ctores illi, qui phrases scripsere, seorsim notandi sint.

§. II.

(f) Phraseologici scriptores varia methodo phrases collegerunt. Sunt qui ordinem subiectorum sequuntur, iisque praedicata sive phrases subiiciunt, quo modo Lexicographi quoque procedunt. Sunt qui verborum ordinem sequuntur, iisque nomina sive subiecta subiungunt. Sunt qui utrumque modum miscent. Sunt qui phrases Synonymas sub certis titulis colligunt; quorum singulorum ut diversae rationes sunt, ita diversum quoque usum habent.

§. III.

Inter Phraseologicos scriptores primum tenere locum nobis videtur BARTHOL. RICCIVS, qui *Apparatum latinae locutionis* scripsit eo ordine ac methodo, ut primo verba ponat secundum indicem alphabeticum, illis verbis deinde nomina, cum quibus coniunguntur, subiiciat, et haec quidem etiam ratione Alphabeti. Toti postea libro subiicit indicem nominum, singulisque nominibus verba, remittendo ad paginam. Hic

(f) *Phraseologici)* Eximiam, nisi fallor, utilitatem hoc caput linguae latinae studiosis afferet; Attigerat tantum hoc argumentum in *Polyhistore* vir egregius.

Hic liber si plenior esset et maiori copia instructus, haberemus profecto opus in hoc genere consummatum; sed pauca sunt quae ex paucis auctoribus ille collegit vir linguae Latinae eiusque proprietatis satis gnarus, ut patet ex eiusdem elegantissimo libello *de imitatione.* Liber ille phraseologicus prima editione prodiit *Argentor.* 1535. *in* 4. Altera editio prodiit *Coloniae in* 8. cum interpretatione Germanica.

§. IV.

Post RICCIVM nobis memorari debet SCHORVS, RICCIO eam ob caussam praeferendus, quod phraseologiam e solo CICERONE selegerit et eam quidem, quae esset optima et rarissima et a vulgari loquendi ratione quam maxime abiret. (g) Hunc ego librum saepius recusum ita com-

(g) *Hunc ego librum)* Passim hunc eximiis laudibus afficere solent librum castae dictionis Latinae amatores. FRANC. VAVASSOR *Observ. de Lingu. Lat.* p. 526. *librum* vocat *linguae Latinae tutoribus commendatissimum.* vid. idem Libro *de Epigrammate c. XIV. p.* 162. Idem *Praefationem* huic libro praemissam *de observatione Lat. linguae* non immerito *auream* vocat. Quare optime de hac lingua promeritus est vir doctissimus, qui ante annos aliquot *Tübingae* novam, eamque prioribus multo meliorem editionem SCHORI formis descri-

commendo iuventuti, ut nunquam e manibus deponant, sed perpetua, quoad eius fieri potest, imitatione exprimant. (h) Eodem consilio CASP. SCIOPPIVS, censor linguae Latinae lynceus et acerrimus, has SCHORI *phrases* in epitomen contraxit et sub titulo: *Observationum linguae Latinae Francof. 1609.* edidit. (i) In epistola enim *de compendiosa linguae Latinae exactius cognoscendae ratione*, ad HENR. BOCKIVM scripta, haec habet: *Comparabit Antonii Schori phrases linguae Latinae tyro, in iisque ediscendis plurimum studii operaeque ponet, phrasesque ex solo Cicerone in librum illum non nisi laudatissimo labore collatas quotidiano exercitio imitabitur, quam ad rem utilissimum foret, si quis typographorum librum illum, ut a me recognitus et ad*

describendam curavit. Conf. Cl. KAPPIVS *Not. ad* VAVASSORIS *Anti-Barbarum* p. 526. 527.

(h) *Eodem consilio)* Easdem SCHORI phrases enucleavit M. EMANVEL GVILDNERVS, paedagogii Marpurgensis praeceptor, et germanicam versionem addidit libro, quem inscripsit: *Officina scholastica sive Phraseologia Ciceroniana Latino Germanica. Francof. 1598. in 8.*

(i) *In epistola enim)* Quae addita est libro eius *de arte Critica.*

ad optimam brevitatem redactus fuit, evulgaret.

§. V.

Svaserim ego, ut quis in iuventutis usum vel epistolas, vel sermones concinnaret lingua Germanica, quibus continerentur praecipuae CICERONIS elegantiae; ita statim cum prima aetate puriori sermoni Latino assvescerent, neque illam vulgo usitatam stribliginem ex auctoribus non genuinis contraherent.

§. VI.

Huius SCHORI vestigia sequutus videtur GEORG. CRAVSERVS in *Scintillis* suis *Tullianis*: qui liber *Rudolstadii 1664. in 8.* prodiit. Selegit ille verba rariora, eorumque usus locis CICERONIS aliorumque auctorum ostendit. In exemplis vero adducendis et ex Graeca et Hebraica quoque lingua illustrandis copiosior est. Ceterum phrases ipsae, ut puto, omnes apud SCHORVM invenientur. Quare rectius fecerimus, si uni illi inhærentes cetera non nisi illustrationis et exempli gratia adhibeamus.

§. VII.

Scripsit et Aldus MANVTIVS *Phraseologiam*, quae olim in scholas recepta fuit, additis vocibus Germanicis. Quae quidem etsi non omnino contemnenda, est tamen

tamen vel eam ob causam longe minori pretio habenda, quod loca auctorum, unde haec phraseologia depromta sit, non apponantur: quod certe necessarium est. Multa tamen in commendationem eius dixit vir celeberrimus, JO. CASELIVS, qui librum hunc cum *Praefatione* sua edidit, in qua praefatione multa de phraseologia utilia monita habentur.

§. VIII.

Extant et GODESCHALCI *Observationes Latinae Linguae*, aliquoties editae: quo in libro sub verbis et nominibus sine discrimine phrases notantur. Non est contemnendus ille liber: collegit enim non pauca e variis auctoribus, locaque auctorum notavit, atque in iis selectum tamen aliquem ostendit.

§. IX.

Sunt et alii quidam auctores phraseologici, ut VLNERVS, BARBAROSSA, aliique, qui tamen cum minore industria observata sua collegerunt, aut aliunde transsumserunt, et idcirco ceteris illis, quos memoravimus, postponi debent.

§. X.

Phraseologicis auctoribus annumeres etiam illos, qui certas illas actionum civilium formulas collegerunt, ut fecit BARNAB. BRISSONIVS in libro illo *de solemni-*

lemnibus populi Romani verbis, in quo collegit omnes illas voces phrasesque, quae ad actus civiles, quales in societate civili potissimum occurrunt, in re iudiciaria, testamentaria, militari, contractibus, sacris, comitiis etc. De quo iam supra, ubi de proprietate vocum egimus, mentionem fecimus. Referri huc etiam illi debent, qui secundum artes et scientias phrases congesserunt: quod multi quidem in votis habuere, nemo tamen hactenus praestitit. Solus, IO. STARCKIVS tale quid promisit, quod tamen nunquam lucem vidit. (k) VINC. PLACCIVS, Hamburgensis Gymnasii Professor, molitur *Encyclopaediam phraseologicam*, qua ad omnes scientias et artes referet, quidquid technicarum phrasium occurrit.

§. XI.

Post illam simplicem phraseologiam verborum vel quorumcumque, vel secundum artes dispositorum memorari illi debent, qui *phrases synonymas* sub titulis verborum com-

(k) *Vinc. Placcius*) Memoratur haec *Encyclopaedia* inter affecta et inedita, quae PLACCIVS reliquit, ingenii monumenta a Cel. FABRICIO in *vita* eius, *Theatro Anon. et Pseudon.* praemissa. Unde tamen simul intelligitur, eam non ita esse elaboratam, ut edi queat publice.

communium collegerunt. In quibus recenſendis et dignoſcendis eo maior cura et induſtria impendi debet, quo magis ad copiam Latinae linguae auctores illi facem praeferunt. Facile enim quivis intelligit, cum in delectu vocum et phraſium conſiſtat eloquentia, farraginem multarum phraſium idem ſignificantium uſui nobis fore in delectu illo inſtituendo. In iis pauci admodum ſunt, qui commendari poſſunt. Deficit enim hac in parte virorum doctorum induſtria. Magnus ille ERASMVS ROTERODAMVS, qui huius utilitatem doctrinae vidit, in praeclaro illo *de copia verborum et rerum libro* multa congeſſit ad locupletandam orationem non vulgaria neque contemnenda. Sed quoniam omnes loculos non excuſſit, nullam quoque claſſicam auctoritatem ſequutus eſt, ſed ſuo tantum genio indulgens multa congeſſit, illum ducem eligere non poſſumus, ut qui in multis ipſe deficiat. Quare ii auctores, qui qualemcunque huic argumento induſtriam admoverunt, in conſilium adhibendi ſunt. Inter illos, ſi ordinem ſpectes, primum locum forſan occupabit PHIL. PAREVS, cuius extat *Calligraphia Romana*, qua continentur phraſes ſynonymae, e claſſicis auctoribus ſub certis titulis collectae. Verum cum ille auctor, ut e ceteris ipſius ſcri-

ptis apparet, exigui sit iudicii, ita multa hic temere confudit, ut in vasta illa sylva difficillima sit investigatio phrasium illarum, quae scopo inquirentis inserviunt. Non tamen inutilis ille labor, si accedat utentis iudicium, quemadmodum et ille (l) eiusdem auctoris in graeca lingua et poësi, cui titulus: *Mellificium Atticum*, aliquam utilitatem in Graeco carmine praestare potest.

§. XII.

Suscepit hunc colligendi phrases laborem, sub titulis communibus BASILIVS FABER, *Soranus*, qui ex epistolis CICERONIS et e TERENTII comoediis observationes, ut vocat, collegit, quae non sunt contemnendae. Titulus libri est: *Loci observationum atque expositionum indices numerosissimi in Ciceronis epistolas familiares omnes. Lipsiae 1576. in 8.* editi. Alter eius libellus in TERENTIVM inscribitur *de Synonymia Terentii*, *Lipsiae*que 1562. editus est.

§. XIII.

Suscepit et IOH. BENTZIVS hunc laborem,

(l) *Eiusdem auctoris)* Fallitur hic memoriae vitio vir egregius. *Mellificium* enim *Atticum* non est eiusdem PAREI, cuius est *Calligraphia Romana*, sed filii eius DANIELIS.

borem, ut universae linguae Latinae sub locis suis congestae phrases colligeret, ordinem potius sequens generalem rerum per classes suas locatarum, quam ut ipse sententiarum et phrasium genericos conceptus pro titulis poneret. Quod consilium cum a ceteris phraseologicarum collectoribus discrepat, tum hoc utilitatis habet, ut quae sunt de unoquoque subiecto praedicandi rationes, in unam aliquam sylvam redigantur. Huius ergo phraseologiae usus ad Lexicographiam potius pertinet, quam ad collectiones Synonymicas. Nam quanquam hic sunt Loci communes rerum generales, tamen illi potius ordinantur pro rerum connexione, quam ut alicuius conceptus Synonyma suppeditent. Inserviunt et illi quidem loci variationi conceptuum, sed quae instituitur ex connexis, affinibus, et repugnantibus, cum ceteri auctores unius eiusdemque conceptus variationes synonymicas expresserint. Insigniter tamen prodest ille BENZII labor tum in Latinis, tum in Graecis: qua de re iam supra quaedam diximus.

§. XIV.

Novissime SCHÖNSLEDERVS in suo, quem vocat, *Apparatu eloquentiae* optimo iudicio phrases congessit ex antiquis, classicisque scriptoribus sub titulis communibus

tam materialibus, quam formalibus prout illi commodum visum fuit. *Materiales* titulos voco, qui ratione solius subiecti formantur, *formales* voco, qui ex praedicatis vel e combinatione subiecti et praedicati, generalique ex illis formato conceptu oriuntur. Liber ille utilissimus est, neque hactenus quisquam fuit, qui accuratiorem curam huic rei impenderit: etsi non negem multis modis augeri posse ac optem, quosdam laborem hunc in se suscipere velle, qui simili iudicio e bonis auctoribus phrases colligant. Huic libro subsidio esse poterit alter BENZII, si in titulis, qui illic habentur, cognatis, affinibus et repugnantibus subiiciatur numerus paginarum, ubi in SCHÖNSLEDERI apparatu illi occurrant. Ita et amplificationem, quae ex rebus oritur, et Synonymiam phraseologicam coniunctam habebimus. Ac operae sane pretium esset, si quis SCHÖNSLEDERI *Apparatui* talem indicem realem subiiceret. Ita nunquam destitueremur verborum copia rebus ipsis suffulta: quod mirum in modum prodesse posset ad eloquentiae studium, modo quis recte iudicio iis subsidiis uti norit.

§. XV.

§. XV.

(m) In Graeca lingua iis subsidiis destituimur. Nam paucula tantum sunt illa, quae BENTZIVS huc contulit, et sunt illa Lexicographica ratione scripta: sub titulis conceptuum communium pauca ordinata habemus. Habemus quidem *Calligraphiam* POSSELII, sed brevem admodum et e NEANDRI collectaneis potissimam partem desumtam, cuius extat in ISOCRATEM talis labor, qui sub titulo: *Phraseologiae Isocratis* prodiit *Basileae 1558. in 8.* POSSELII *Calligraphia Hanov. 1609. in 8.* exiit, cui facile fuit post NEANDRVM et BENTZIVM phraseologiam hanc colligere: cuius in hoc genere laborem quoque praecessit IACOB. BILLIVS PRVNAEVS, cuius extant *Locutiones graecae in locos communes digestae*, quae *Lugduni 1588. in 8.* prodierunt.

§. XVI.

Haec de phraseologia et phraseologicis auctoribus et de omni illa cura phraseolo-

(m) *In Graeca lingua)* Nec ita, quemadmodum Latina lingua, Graecus sermo his subsidiis indiget. Quis enim hodie Graece libros componit aut, si tyrones quosdam excipias, Graecas orationes pronuntiat? Praeclare cum Graecis ageretur litteris, si modo plures intelligentiam earum sibi studerent acquirere?

gica instituenda, quomodo scilicet illa observationum methodus ineunda sit. Plura de his in sequentibus dicemus *capite* scilicet *XI*. Qui alias extant libelli phrasium a quibusdam minutis scriptoribus temere congesti, ii cura et recensione nostra digni non sunt. Vnus forte IOSAEVS, cuius extat *Medulla Latinitatis* non contemnendus in hoc genere scriptor videtur, qui e *Foro Romano* selectiorem phraseologiam sub certis titulis verborum congessit, operam iungente MARCO FRID. WENDELINO, cuius extat Dissertatio libro adiuncta, qua ratione quis uti libro hoc possit, et usus fuerit filius suus. Putat enim ille intra exiguum tempus quotidiano exercitio totam ita phraseologiam exhauriri posse exemplo filii sui. Id quidem ego fieri posse non inficias ivero: verum multis illa phraseologia defectibus laborat. Totus ille labor fidei ROB. STEPHANI innititur, cuius saepe diligentia et perspicacitas claudicat. Vsus enim est exemplaribus non optimis et saepe mendosis: miscuit variae aetatis, variique generis auctores et in unum cinnum congessit, ut Lexicographi solent. Inde bona fide excerpsit IOSAEVS omnia, non perlustratis auctorum locis, quod fieri omnino debebat. Phrases abstracto sensu per infinitivos ponuntur, non integris sen-

ten-

tentiis, ut iudicium fieri possit ex collocatione et coniunctione subiecti, quomodo recte phrasibus illis utamur. Nulla auctorum loca et ne nomina quidem adiuncta sunt. Index tamen Germanicus additus est plenissimus, qui raro fallit inquirentes. Verum nisi accedat praeceptoris solertis industria, arripiet saepe tyro sordes pro elegantiis, cum mala applicatione bonas phrases corrumpit, et non adeo bonae notae phrases melioribus anteponit. Quare longe consultius is e principe classicorum scriptorum phrases suas collegerit. Nam cum ad classicos auctores multi pertineant poëtae, Comoedi, fabularum scriptores, Historici, singulis vero diversus pro ratione scriptionis character sit, satius erit, illos prima aetate non miscere, sed vel uni CICERONI et paucis quibusdam aliis, CORNELIO NEPOTI, TERENTIO, inhaerere, quorum Latinitas purissima est, formulae loquendi urbanae, character sermonis moderatus et castigatissimus. Etsi nonnunquam etiam in TERENTIO quaedam occurrunt extra comoediam non facile usurpanda, ut cum apud illum parasitus loquitur: *Hunc ego deridendum vobis propino*, non recte imitabuntur hoc alii, si hac phrasi in re seria utantur, quod tamen quotidie fit etiam a viris doctissimis. Quare qui phraseologiam suam e Comicis congesserunt,

ut fecit BARTHOLDVS FEIND in ſuo *Horto comico* caute iuventuti ſunt ad uſum concedendi, neque ſine prudenti magiſtri alicuius directione. Nihil eſt frequentius, nihil familiarius PLAVTO, quam ludere ſervilibus argutiis ad captandum populi riſum, quod nunquam fieri debet in ſeria oratione: ne quid dicam de Archaiſmis et Poëtiſmis. Etſi enim comoedia quam maxime ad ſolutum ſermonem accedit, eſt tamen ubi metri ratio phraſin nonnunquam a ſua indole abducit, quod oſtendi multis exemplis poſſet, et qui emunctae naris eſt, facile animadvertet. Poëtae ipſi, ut VIRGILIVS, OVIDIVS, primo illo tempore, cum corpus orationis civilis formatur, ſeponi debent, ne poëticae phraſes incautae iuventuti imponant, in ſoluto ſermone locum non invenientes, niſi forte HORATII *ſermones* exceperis, quos eam ob cauſam ſermones vocavit, quod ad ſolutum dicendi genus quam maxime accederent. Pauca in illis occurrunt, quae poëtiſmum ſapiant, niſi forte quaedam nomina propria aut fabulae, ad quas interdum alludit. Tota eius dictio, ſi numerum abſtuleris, etſi ille vix aliquid numeri poëtici habet, (nam et numerus ille ad ſolutam orationem accedit) phraſin ſervat omni loco et tempore quavis in oratione facile uſurpan-

pandam. Mirus enim in illa dictione nitor eſt, ſingularis elegantia et τὸ χαρακτηριςικὸν circa mores vel e ſingulis verbis elucet. Huius ergo *ſermones* et TERENTII *comoedias*, ſi fieri poſſit, totas memoria puerorum comprehendi ſuaſerim, eritque, cum viris aliquid dicendum aut ſcribendum eſt, ut magno cum fructu illis utantur.

Capvt IX.

De verbis et phraſibus civilibus et formulis Latinae linguae.

§. I.

CVm ſupra iam monuerim, eſſe phraſes quasdam et formulas civilis uſus accurate notandas et ſeiungendas a communi et populari ſermone, iam id denuo moneo, poſtquam de phraſibus egimus, ut earum formularum apparatum mature nobis comparemus. Phraſium civilium apparatum accurate inſtitutum non habemus, praeter pauculas iſtas, quas BARNAB. BRISSONIVS in libro ſupra laudato collegit. Has noſcere et ſub titulis colligere debemus, quasque ille omiſit adiicere, non omiſſis etiam formulis, quas idem BRISSONIVS cum phraſibus miſcuit, quarum eo accuratior ſuſcipi cura debet, cum ipſos

ipsos actus civiles comitari semper soleant. Quae cum in usum adhibentur, de eruditione et peritia scriptoris singulare testimonium perhibent. Etsi enim phraseologia civilis per se quoque singularem aliquam curam requirit, tamen illud formularum negotium praecipue spectandum est. Iis enim in civilibus actibus similibus data occasione commode et eleganter utemur. Habent enim formulae aliquid typi practici, quod ex ipso genio negotii prodit, et singularem aliquam efficaciam ipsi orationi conciliat.

§. II.

Magna est *phrasium* et *formularum* differentia. *Phrases* enim simpliciter ipsam actionem exprimunt, *formulae* autem typum et modum agendi, suamque ex natura et genio actionis qualitatem et determinationem sortiuntur. Nam cum *phrasis* in simplici Synonymia consistat, *formula* modum aliquem infert, quo actio illa exprimatur quocumque in genere. Has *formulas* in sermone civili BARNAB. BRISSONIVS *phrasi* iunxit, quae omnino erant seiungendae, ut eo accuratius earum usus innotesceret.

§. III.

Formulae sunt vel *solemnes* et *publicae*, vel magistratus aut populi auctoritate ita

con-

constitutae: a quibus eo minus discedendum est, quo magis publicus ille usus vim suam et auctoritatem consequutus est: ideoque in illis nihil mutandum, sed eae, prout rerum usus flagitat, usurpandae sunt. Alia vero ratio est *formularum, quae ex arbitrio dicentis dependent*, et ex typo vel ethico vel pathetico oriuntur. His enim geminis fontibus omnes illae formulae, quarum usus est in oratione, in epistola, in poëmate derivantur. Cum enim formulae notent modum actionis, modus vero actionis consistat vel in moribus, vel in affectibus, prout illa vel vehemens, vel remissior est, conficitur inde, duplici illo characterismo omnem quocumque in sermone formulam notari.

§. IV.

Hae formulae seorsim colligendae sunt ex illis praecipue auctoribus, qui typos illos vel morales, vel affectuosos in oratione pro orationis indole sequuntur, quales sunt Oratores moratam, vel affectuosam orationem repraesentantes, comici aut Tragoedi, qui actiones civiles in theatro exponunt, cum omni morum et affectuum apparatu, omnes denique poëtae, praecipue Epici, qui actionem aliquam illustrem et heroicam versibus expressere.

§. V.

§. V.

Formulae illae ſive in orationibus, ſive in epiſtolis ſecundum claſſes cauſarum ordinari poſſunt. Nihil enim concipi poteſt, quod non ſub titulos illos vel generales, vel ſpeciales redigi poſſit. Omnia quaecunque ſunt negotia vel ſub ratione laudis vel vituperii continentur, vel ſuadentur, vel accuſantur, vel defenduntur. Quare omnes illi termini vel phraſes generales, quae notionem laudis et vituperii, ſuaſionis vel diſſuaſionis, accuſationis vel defenſionis continent, formularum titulum repraeſentabunt. Formula enim omnis brevis eſt oratio cum enthymemate, et omne enthymema ad aliquos locos ex iis pertinet; unde patet, ad nullos alios locos formulas, quam ad hos, referri debere.

§. VI.

(n) Ergo pro ratione ſcopi noſtri formularum collectanea conficienda ſunt. Si in oratorio genere verſemur, formulae maiores ex optimis oratoribus nobis ſeligendae ſunt et in locos ſuos compingendae, quo-

(n) *Ergo pro ratione)* Conferenda hic erit MORHOFII *praefatio de omni in eloquentia excerpendi ratione*, quam NICASII BAXII *Medullae eloquentiae Kilon. 1685. in 8.* a ſe iterum editae praemiſit.

quorum ideam nobis repraesentare potest MELCH. IVNIVS in *resolutione orationum Ciceronis.* Occurrunt enim in omni pene parte orationis formulae peculiares, quibus utuntur oratores, quae seorsim ita notandae sunt, ut, cum in Exordio formulae proponantur, quibus causa commendatur, quibus in invidiam adducitur adversarius, quibus benevolentia captatur, omnia haec ad certa formularum loca, quae in exordio obtinent, referenda sunt. Quod fieri etiam in ceteris orationis partibus potest: quorum insigne exemplum MELCH. IVNIVS in *libro iam laudato* suppeditavit. Cum enim Ciceronianarum orationum partes omnes singulatim recenset et examinat, eadem opera omnia illa loca exponit, quibus tales formulae occurrunt, quae si separato aliquo libro notentur et postea illa adiiciantur, quae apud alios oratores occurrunt, non parum rem nostram augebimus.

§. VII.

Eadem ratio *formularum* est, quae in *epistolis* occurrunt, quae ab oratoriis non differunt nisi moderatiori usu. In illis cum iam tum MICH. NEANDER in *Sylloge* sua *locutionum et formularum* et IO. STARCKIVS in *formulis* suis *epistolaribus* insignem aliquem typum dederit, eorum

rum frui possumus exemplo, et ex auctoribus tam veteribus, quam recentioribus similes locos instituere.

§. VIII.

(o) In poëticis nemo hactenus fuit, qui dignam aliquam operam praestiterit. Promisit quidem eam IO. STARCKIVS, sed non perfecit. Non ita pridem IO. DECKENIVS in *Observationibus* suis *Poëticis* elegantem eius rei delineationem dedit, quam unice in hoc argumento commendare possum. Etsi enim ante illum LAVRENTIVS le BRVN in *Eloquentia* sua *Poëtica* formulas tales collegit, eae tamen non ita ad usum sunt institutae. Nam maiores tantum collegit, praecipue connexionum et transitionum, formulas, praeteritis minoribus, quarum tamen maior usus est in oratione poëtica. Has autem nemo quidem hactenus accuratius collegit quam ille, quem modo laudavi, (p) DECKENIVS, eaque brevitate et concinnitate, ut tri-

(o) *In poëticis)* Hic consulantur ea, necesse est, quae erudite noster *de Excerptis Poëticis* praecepit *Polyhistoris Tom. I. Lib. III. cap. X. XI.* p. 622. s.

(p) *Deckenus)* Librum eius, quem hic laudat, MORHOFIVS cum praefatione sua iterum curavit edi *Kilon. 1691. in 8.*

tribus, quatuorve paginis plura complectatur, quam alter ille vasto suo volumine, qui nimio et operoso exemplorum apparatu usus, multa in immanem acervum congessit, quae praeterire commode potuisset.

§. IX.

Quod in carmine monui, idem et in oratione soluta faciendum, ut *formulae minores* distinguantur a *maioribus*. *Maiores* autem illae facili negotio discernuntur et integra involvunt enthymemata, vel morata vel affectuosa. Sed *minores* breves sunt et paucis verbis continentur: quales frequentes sunt in auctoribus, qui dialogi formam sequuntur, apud Comicos, in primis TERENTIVM et PLAVTVM, apud Satyricos, HORATIVM in sermonibus praecipue. Sic *ex. caus.* verba indignandi, increpandi, imprecandi, suadendi, rogandi, etc. vel per nudam afferuntur phraseologiam, sine consideratione affectus vel morum, vel brevi aliqua et emphatica formula, et tunc figura additur orationi. Omnis enim formula figuram inducit orationi, eamque quodammodo animare videtur, ut quaedam ψυχωσις orationi addatur. Ita quando verbum *imprecari* per phraseologiam effero, ea, sive simplex sit, sive metaphorica, nihil nisi verbi rationem exprimit, e. g. *multa mala alicui dicere, mala alicui precari,*

ri, execrari aliquem, dira imprecatione configere. Simplices hae *phrases* sunt. Cum vero *formulis* utor, ipsa illa imprecatio verbis conceptis profertur. *Male illorum capiti sit; Dii isti homini male faciant: Sic mihi tellus ima dehiscat; Si sciens fallo, Jupiter me pessimo letho afficiat: Eveniat nostris hostibus ille pudor*, et plura alia. Quare formula a phrasi ita differt, ut phrasis actionem aliis verbis circumscribat, formula vero ipsius actionis characterem re ipsa et *μιμησει* quadam exprimat.

§. X.

Magnum in his formulis arcanum est amplificandae orationis non omnibus animadversum. Potest enim per formulas, quasi per terminos communes et subsidiarios, ita dilatari oratio, ut a vulgari illa plane alia et quasi vivificata videatur, quod diligenter notare velim eloquentiae cultores. Sunt quidam termini generales, qui omni phrasi possunt quasi praemitti, eamque quasi determinare, ut maiori apparatu prolata videatur. Tales sunt voces affirmandi, negandi, existendi, verba sensuum et intellectus, verba affectuum, verba quae caussalitatem important, efficientem, materiam, formam, finem, et sexcenta alia, quibus mire extenditur oratio, ut nos exemplo aliquo *Orationis* CICERONIS *pro Marco Mar-*

cello

cello demonſtravimus, (q) quod *Polyhiſtoris* noſtri *Libro III.* fuſius proponetur. Sic ex. gr. cum CICERO exprimere vult eam ſententiam: *Caeſari in re publica conſtituenda omnem eſſe curam adhibendam*, ita ex formula communi faciendi et agendi eam ſententiam amplificat hoc modo: *Haec ergo tibi reliqua pars eſt, hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, ut rem publicam conſtituas.* Quis hic non videt, hanc eſſe ſimplicem CICERONIS ſententiam; *Caeſar tibi res publica conſtituenda eſt?* ſed praemittit illam formulam communem petitam ex loco faciendi, qua actionis iſtius gravitas et difficultas eo magis oſtenditur. (r) Inſigne hoc certe artificium eſt et ſingula-

(q) *Quod Polyhiſtoris noſtri)* Lib. III. cap. VII. §. XXV. ſ. p. 595. ed. recentiſſ.

(r) *Inſigne hoc certe)* Non id ego negaverim, quod in ea re magna pars eloquentiae CICERONIS lateat. Sed erunt fortaſſis, qui dicent, fontem atque originem eius non tam in artificio quodam, quam in ipſo CICERONIS ingenio cultiſſimo quaerendam eſſe, nec quemquam facile, niſi qui non diſſimili praeditus ſit ingenio, ad eam orationis dignitatem perventurum eſſe, ingenio vero qui valeat, eum commode tot regulis et tam accurata obſervatione carere poſſe. Fateor ego, multum hanc orationem probabilitatis habere. Sed

gularis in illo eloquentiae CICERONIS observatio magni profecto facienda. Si quis enim TVLLII orationes omnes perlustraverit, omnem orationis copiam in hoc artificio latitare deprehendet. Quare illi, qui eloquentiae operam impendent, haec ex CICERONE colligant exempla, unde videbunt, quomodo CICERO iis usus sit, et ex usu ipso perdiscent, quomodo haec in exemplum pertrahenda. Neque enim quis existimet, vanam hanc esse περισσολογίαν et ταυτολογίαν. Nam non ubique, sed ubi maxima emphasis latet, talia adhiberi debent.

§. XI.

Earum formularum usum in Oratione iam suo tempore vidit (s) IORDANVS BRV-

est tamen, quod reponi queat iure optimo. Magna nimirum ingenia tum demum perficiuntur, si naturam ars adiuverit, mediocribus vero et minoribus nihil est conducibilius, quam si artis ope, quod natura ipsis negasse videtur, consequi studeant. Usu quippe constat et experientia, exercitationem et observationem ita humilia evexisse ingenia, ut a sublimioribus proxime abesse viderentur. Placet mihi QVINTILIANI effatum *Instit. Orator. Lib. II. cap. XIX. p. m. 134. Consummatus orator nisi ex utraque* (arte et natura) *fieri potest.*

(s) *Iordanus Brunus*) Is ipse, quem inter Atheos ple-

BRVNVS, cuius extat libellus, cui titulus: *Artificium oratorium*, ubi *cap. III.* terminos generales ſecundum alphabeti ordinem poſuit, quibus variari et multiplicari poſſit oratio. Vocat hoc *Alphabetum terminorum*. Deinde alterum habet *Alphabetum*, quod vocat *indumentorum*. Nominat autem *indumenta orationis*, quando forma certa orationi additur et quidem externa aliqua, quae non ad ſubſtantiam vel ad materiam orationis pertineat. E geminis illis Alphabetis, quae ſecundum circulos et rotas diſpoſuit, variationem et amplificationem orationis ille oſtendit: qua in re *Lullianam* proponendi rationem imitatur. Sed non eſt neceſſe ad circulatoria illa ſubſidia rem reducere. Nam ſi illa ſine diſcrimine, prout circulus oſtenderit, adhibentur, nugatoria et inepta fit oratio. Rectius illa iudicio, quod ex re ipſa deducitur, periti oratoris relinquitur. Interim non ingratum eſt auctoris huius inventum et exercitii gratia nonnumquam tentari poteſt.

plerique referunt. vid. Cel. CROZII *Entretiens ſur divers ſujets p. 284. - 350.*

Capvt X.

De vocibus barbaris et Germanismis.

§. I.

Cum omne rectum sit mensura sui et pravi, ita ex adverso pravum quodammodo mensura recti est. Nam ex abusu verborum Latinorum de vero eorum usu iudicium institui potest. Quare ut in bonam et laudabilem Latinitatem cura impendi debet, ita non minor cura suscipienda est earum vocum, quae aberrant a recto, ut ex earum notitia securi esse possimus de genuina Latinitate.

§. II.

(t) Voces Latinae multis ex causis characterem pravitatis sortiuntur, si vel peregrina vox sit, qua utimur, vel Soloeca, idque vel ipsius vocis respectu vel constructionis. Quacumque iam ratione ista peregrinitas sermoni accidat, vitanda illa et notanda est. Prima Latinae linguae corruptio

(t) *Voces Latinae)* Quid in hac re meo iudicio iustum et aequum sit, id dedita opera edisserui *Diss. de cultura et necessitate Latini sermonis*, FOLIETAE libro praemissa §. V. VI. VII. s. p. 8. s. Quapropter pauca hic observo.

ruptio a peregrinitate fuit, (u) cum in ipsam urbem Romam convenirent variae gentes e provinciis, quae usu linguae gentilitiae corruperant adoptivum sermonem Latinum, unde postea in ipsa urbe Roma auditae fuerunt voces et loquendi rationes a prisco illo Romano et puro sermone diversae, ac paulatim illae ab ipsis Romanis fuerunt assumtae, ut frequens est tum ipsius CICERONIS, tum QVINTILIANI aliorumque querela. Hinc adeo difficile fuit post CICERONIS tempora veros characteres Romani sermonis a provincialis sermonis notis internoscere, ut et Latinissimis scriptoribus obiecta fuerit linguae Romanae e provinciali quadam indole corruptio.

(u) *Cum in ipsam Romam convenirent)* Augebant corruptionem Latini sermonis itinera quae ab optimatibus in provincias legatorum aut praefectorum munere ornatis suscipiebantur. Namque hi ex consuetudine cum populis alieno sermoni adsuetis, quibus ius dicendum erat, paulatim aliquid labis patrio sermoni contrahebant, idque Romam secum referebant. Equidem satius futurum fuisse duco, si Romani gentes subactas, uti suis vivere legibus, ita suis uti linguis passi fuissent. His etenim necessitate imposita Latinum sermonem addiscendi, plana ad depravationem linguae via patebat.

ruptio. Ipſe LIVIVS notam *Patavinitatis* effugere non potuit. VIRGILIO *Mantuanitas* obiecta eſt. Imo ipſe CICERO ex patria Arpino aliquid trahere nonnullis viſus fuit. Sed ii nimis delicati cenſores fuerunt, qui ex invidia ſaepe nonnulla commenti ſunt, quae attendi non magnopere merebantur. Qua in re ASINII POLLIONIS improbitas ipſis antiquis ſcriptoribus reprehenſa fuit: de qua plenius ago in *Diſſert.* mea *de Patavinitate Liviana.*

§. III.

Cum adeo difficile ſit, Romani ſermonis et provincialis corruptelae characteres internoſcere, vel id notari hic debet, etiam nimiam Romanae linguae curam non vacare reprehenſione. Tota ſcilicet illa res ex uſu ſpectanda eſt. Fuere vel ipſis Romanis in uſu voces, quas nemo ſcriptorum cordatiorum facile admiſerit. Nam vel in urbe Roma erant voces et phraſes plebeiae, quae locum in oratione civili non inveniebant, adeo ut, notante SVETONIO *in vita Auguſti*, AVGVSTVS imperator in illo ipſo florentiſſimo Latinitatis aevo voces plebeias uſurparit, auctoribus nunquam uſitatas, ut cum dixit *baceolum* pro *ſtulto*, *vapide ſeſe habere* pro *male*, *lachaniſſare* et ſimilia. Multae quoque aliae in uſu fuere voces,

voces, quibus cives Romani utebantur, sed quas oratores et nitidi scriptores fugiebant: cuius commatis illae sunt, quae apud APVLEIVM, aliosque scriptores Africanos et Hispanos reperiuntur, non ab illis primum, ut aliqui arbitrantur, inventae, aut in Romam infusae, sed in ipsa Roma natae atque eam ob caussam diligenter notandae, quod in philologiae et etymologiae negotio magnam nobis lucem accendunt. Sed ex usu civili eiiciendae sunt, quod iis usi non fuerint Romani oratores et Historici, ad quorum iudicium velut ad lapidem lydium exigendus est omnis illarum vocum valor. Legi super hac re meretur elegans scriptum CHRIST. DAVMII *de caussis amissarum quarundam linguae Lat. radicum.*

§. IV.

Voces ergo purae Romanae e civili usu tantum spectandae sunt. (x) Quare quicquid in aureae aetatis scriptoribus CICE-

 RONE,

(x) *Quare quicquid*) Quod vero pace dixerim custodum Latini sermonis, ego argumentationem hanc, qua nihil apud illos est frequentius, parum esse validam arbitror: *Haec vox in aureae aetatis scriptoribus non extat: Igitur prava est et barbara.* Nam, ut quaedam alia taceam, multa constat periisse veterum illorum scriptorum monumenta. In quibus incer-

RONE, TERENTIO, CAESARE, CORNELIO NEPOTE, PLAVTO et ſimilibus non invenitur, id pro ſuſpecto habebitur. (y) Imo et in illis ipſis ſcriptoribus multa ſunt, quae vel ſemel tantum occurrunt, et dubia lectione nituntur, vel affectatione aliqua ridicula, ut apud Comicos, excogitata ſunt, omnino in ſerio et civili ſermone vitanda. Vel in ipſo CICERONE STATILIVS olim dedit integrum *librum ſingularium*, quibus ille ſolus uſus fuerit. Et occurrunt in illo indice, quem FROBENIVS collegit, multa, quae non temere uſurpare licet. Tales voces et

incertum prorſus eſt, an extiterint illae voces, quae hodie in libris, qui ſuperſtites ſunt, non reperiuntur. Magna igitur hic opus eſt aequitate, nec is ſtatim barbarici arguendus eſt, qui ab illis vocibus ſibi non exiſtimat abſtinendum eſſe, quas in aureis et melioribus ſcriptoribus haud offendas.

(y) *Imo et in illis)* Valde neceſſarium praeceptum hoc eſt illis, qui caſti ſermonis cura quadam tanguntur. In quibus multi ſunt, qui, quo rarior vox aut loquutio quaedam in antiquis legitur ſcriptoribus, eo crebrius eam ſibi cenſent adhibendam eſſe. Ut multos alios praetermittam, BEMBI ſcripta poſſunt evolvi ab eo, qui exempla deſiderat. Huic enim id moris eſt, ut quae ſemel a CICERONE dicta ſunt, ſaepius ad uſum vocet.

et loquendi rationes quanquam pro barbaris haberi non possunt, tamen eam ob causam, quia singulares sunt, pro suspectis habendae sunt et in civili usu reiiciendae.

§. V.

His omnino succedunt barbarae vere tales sive voces, sive phrases, sive structurae, quibus nemo Romanorum scriptorum usus est. Quales nunc omni in gente frequentes sunt, apud quas sermo Latinus assumtus plerumque aliquem colorem a gentili lingua trahit. Quare omni cura nobis laborandum est, ut illo externae linguae vitio Romanam purgemus diligenti notatione et censura. Qua in re primum ipsi auctores Romani nobis subsidio erunt, deinde illi, qui nostro tempore Barbarismos linguae Latinae vulgares notarunt, e quibus singulis nostra industria, (z) quasi Lexicon ali-

(z) *Quasi Lexicon aliquod)* Eius loco commode iam usurpari poterit CYRIACI GüNTHERI liber, quem inscripsit *Latinitatem restitutam* et praeclara disertissimi viri GODOFR. VOCKERODTI *de rectae et antiquae eloquentiae ratione, corruptelis et harum remediis* praefatione ornatam *Ienae 1701. 12.* edidit. Eo enim libro quae ab aliis hanc in rem observata ordine digesta sunt et testimoniis munita.

aliquod conficiendum est, quo barbarae voces et phrases notentur, ut eas fugere mature discamus, substitutis rectioribus. In his sterquiliniis congerendis operosi fuere multi Hercules κοπροφόροι. Superiori saeculo Italis scriptoribus res illa magna diligentia acta fuit ad summam usque superstitionem, qui tamen ipsi saepe decepti fuerunt. In his fuit LAVR. VALLA, cuius (a) extant *Libri elegantiarum* et in eum annotationes IO. THEODORICI *Basi-*

(a) *Extant libri elegantiarum)* Tot eorum librorum editiones extant, ut earum inire numerum difficile sit. Neque solus THEODORICVS in eos commentatus est, sed plures alii. Prodiit *Basileae 1541. in 8. Liber annotationum Ioh. Theodorici, Longolii, Budaei, Doleti, Erasmi, Iulii Caesaris Scaligeri, aliorumque in Vallae elegantias.* LONGOLII *scholia* saepius separatim edita sunt, ut *Basileae 1545. 1558. in 8.* et cum ipsis VALLAE libris *Colon. 1534. 1536. in 8.* ERASMI *epitome et paraphrasis* harum elegantiarum *Lutet. 1548. in 4. Colon. 1542. in 8. Basil. 1533. in 8. Friburgi 1536. in 8.* exiit et alias. MANCINELLI *castigationes in LAVR. VALLAE libros de lingua Latina,* vidi ex editione *Francof. 1613. in 8.* IO. BADII in hos *elegantiarum libros Epitome* addita est editioni eleganti, quam ROB. STEPHANVS *Paris 1541. in 4.* prodire iussit. ANGELI ROCHAE in hos libros *Observationes* cum eius

Basileae editae 1541. Idem VALLA scripsit *Libros quatuor Antidoti in Poggium Florentinum* A. 1527. editos, quibus voces eius barba-

eius *Apologia pro Boëthio contra Vallam* exierunt *Venet. 1576. 8.* Conf. *ERYTHRAEVS in Pinacotheca P. I. p. 105.* Inspecta est mihi etiam GVIDONIS IVVENALIS CENOMANI *in Latinae linguae elegantias tam a Laur. Valla, quam a Gellio memoriae proditas interpretatio dilucida. Paris 1528. 4.* Habuit et imitatores suos in hoc genere VALLA: namque inter codices manu exaratos THVANI, *Bibl. Thuan. P. II. p. 448.* memorari video librum nescio cuius: *De elegantia Latinae linguae iuxta traditionem Vallae. in 4.* Librum sextum harum elegantiarum Vir Latine doctissimus, CAROLVS ANDR. DVKERVS, in *Opusculis variis de Latinitate Iureconsultorum veterum. Lugd. Bat. 1711. in 8.* editis seorsim una cum libris ANDR. ALCIATI et IAC. CAPELLI contra *Vallam* eius caussa editis describendum curavit. Addidit idem vir eximius animadversiones, quibus iam oppugnat VALLAM, iam defendit: quamquam illud saepius facit et VALLAE adversariis plerumque accedit. Defensionem eius ceterum pereleganten FLORID. SABINVS composuit, quam DVKERVS pariter in lucem revocavit. Plura de his libris illi addent, qui has litteras ex instituto tractarunt, quas mihi quondam vix salutare licuit, hodie ne attingere quidem licet. Id unum adiungo, elegantiarum hos libros in nonnullis editionibus etiam

barbaras castigat. Et quanquam POGGIVS in LAVR. VALLAM *invectivas* scripserit, quibus se purgare, illum gravare laboravit, nihil tamen egit. VALLA enim ipsi semper vindex supervenit, et extat eius *Apologus* sive *Actus scenicus in Poggium*, quo irridentur eius errores, qui additur libro elegantiarum (b) A. 1517. edito, una cum eius opusculo in ANTONIVM RAVDENSEM, cuius errores in Latina lingua idem castigavit.

§. VI.

Cum in Italia factio *Ciceronianorum* oriretur, BEMBO, LONGOLIO, NIZOLIO, aliisque antesignanis, latinarum vocum character intra unius CICERONIS carceres stetit, omnesque illae voces et phrases, quae CICERONEM auctorem non habebant, e foro Romano eiectae et exulatum missae fuerunt, malo sane consilio et prava affectatione. NIZOLIVS, qui *Thesaurum Ciceronianum* congesserat, magnam adhibuerat diligentiam in vocibus et phrasibus CICERONIS congeren-

etiam inscribi: *De lingua Latina* et eodem nomine a quibusdam laudari. Quod qui nescit, is fortassis ex uno duos confingere posset libros.

(b) *A. 1517. edito)* Et in aliis etiam editionibus.

gerendis, ita ut non solum simplicia verba, sed et conjuncta colligeret in eo *Thesauro*, eique subiiceret catalogum vocum et phrasium *non-Ciceronianarum*, suppositis *Ciceronianis*: quae observatiunculae postea a quibusdam canonis instar habitae fuerunt, extiteruntque, qui a vocibus *non-Ciceronianis* velut a contagiosis sibi abstinendum conserent. Verum explosa fuit a viris doctis horum hominum superstitiosa diligentia, qui singularibus libris has ineptias refutarunt, monstraruntque multas esse voces Latinas, quibus CICERO usus non fuit, quarum usus male in dubium vocetur. Egit inter alios hac de re (c) VBERTVS FOLIETA *Lib. II. de linguae Latinae usu et praestantia*, ubi e VARRONIS, TERENTII, PLAVTI, SALVSTII, LVCRETII, LIVII, CAESARIS aliorumque auctorum scriptis verba Latina collegit, quae nemo Latina esse negare ausit, cum tamen earum nec vola, nec vestigium apud CICERONEM inveniatur.

§. VII.

Idem argumentum postea multi alii tractarunt, qui voces Latinas male a Criticis habi-

(c) *Vbert. Folieta*) vid. Lib. II. p. 196. s. editionis novae, quae cura nostra prodiit *Hamb.* 1723. *in* 8.

habitas et a Grammaticis notatas vindicarunt, in quibus numerari etiam poteſt QVINTVS MARIVS CORRADVS, cuius extant *de copia ſermonis Latini libri quinque*, docti ſane et elegantes, in quibus nihil reprehendas, (d) niſi quod nimiam analogiae in fingendis vocibus et phraſibus licentiam indulſit. MAIORAGIVS quoque hunc campum ingreſſus eſt, cui cum GAVDENTIO MERVLA lites quaedam exortae ſunt, quem ille caſtigavit *Diſſertatione Apologetica* adverſus eum ſcripta, in qua Barbariſmos et Soloeciſmos GAVDENTII oſtendit. Edita eſt illa Diſſertatio *Traiecti ad Rhenum* 1664. una cum oratione MAIORAGII *de laudibus auri*.

§. VIII.

Noſtro ſeculo ſollicitiores fuere multi in Barbariſmis congerendis; inter quos magnum diſcrimen eſt. Sunt qui ſtatim ſe prodant primo aſpectu, a quibus nullum linguae Latinae periculum eſt, quales collegit VOSSIVS libro *de vitiis ſermonis Latini* et in Gloſſariis ſuis Latino-Barbaris SPEELMANNVS et CAROLVS du FRES-

(d) *Niſi quod nimiam)* Conferatur hic OLAVS BORRICHIVS *cogitat. de variis linguae Lat. aetatibus* p. 211. ſ. qui in CORRADO idem fere reprehendit.

FRESNE. Atque hi, cum nihil turbent in lingua Latina, suo loco relinqui possunt. VOSSIVS tamen illis aperte barbaris occultiora quaedam intermiscuit, quae ex illo seorsim notanda sunt. Quanquam et in illis multa sunt, quibus Barbarismi notam non inuras, et quae vindicantur tum a SCIOPPIO in singulari libello, tum (e) a BORRICHIO in *Diss. de ieiunitate latinorum Lexicorum*, in *Cogitationibus de variis linguae Latinae aetatibus* et tandem in *Analectis* eius libri. Ex VOSSIO in unum quasi cinnum illas voces collegit IO. PETRVS TITIVS in *manuductione* sua *ad excerpendum*, interspersis suis notis non contemnendis, aliisque observationibus additis.

§. IX.

Sunt et alii, qui varia scripsere *Glossaria*, LINDEBROGIVS, LVDOV. DE LA CERDA, GODOFR. WENDELINVS, sed eorum nulla ratio hic haberi potest, cum voces ab illis notatae nihil nos turbent, omnesque in CAROLI du FRESNE vastissimo *Glossario*, quasi quodam

(e) *Tum a Borrichio)* At hic etiam VOSSIVM erudite contra nonnullas SCIOPPII accusationes *Ravennae 1647.* et in Opusculis eius editas defendit, *Cogitat. de Linguae Lat. aetat.* p. 262.

oceano, occurrant. Potior nobis cura erit in vocibus, phrasibusque, quae a viris doctis usurpatae incautos facile in errorem induxerint, et quarum integra sylva ab aliis notata est. E quibus hae, quasi in indicem aliquem universalem, congeri possunt, connotatis illis, quae recenter vel a nobis, vel ab aliis observata sunt.

§. X.

Huius commatis etiam hi libri sunt: SCIOPPII *Infamia Famiani Stradae*, quo in libro collegit barbarismos et soloecismos STRADAE, (f) quorum tamen plurimos vindicavit BORRICHIVS. Id enim propositum sibi habuit SCIOPPIVS, ut omnibus viris doctis insultaret, praecipue in Latinitatis causa (g) habuitque ille prae mani-

(f) *Quorum tamen*) Molitus est absolutas pro STRADA contra SCIOPPIVM *vindicias* PIERVCCIVS, familiae Iesuiticae in collegio Romano sacerdos, auctore BORRICHIO *Cogitat. de aetatibus* p. 268. quae num prodierint, ignoro.

(g) *Habuit prae manibus librum*) An vere in libro eiusmodi componendo elaboraverit, an minatus tantum sit eius notae laborem, equidem haud dixerim. Specimen eius dedit in *Iudicio de stilo Histor.* p. 93. f. in quo summiorum virorum Barbarismos et Soloecismos colligere studuit. Extat, ut id occasione data adii-

manibus librum, cui titulum facere voluit *Herculis κοπροφόρε*, quo ille omnium huius seculi doctorum latinitatem suspectam facere voluit. (h) FRANC. VAVASSORIS, e societate Iesu, viri doctissimi et poëtae praestantissimi, libellus *de vi et usu quorundam verborum*, cum simplicium, tum coniunctorum, qui additur eius *multiplici et variae poësi*, *Parisiis 1683.* editae. Fuit vir ille linguae Latinae peritissimus, ut patet e variis eius libris, in primis illo, quem *de dictione ludicra* scripsit. Occurrunt hic multa etiam ab aliis observata, et in illis PERPINIANI epistolis, quae collectore

adiiciam, duplex eius libelli, utilissimi certe, editio, altera, quae *Sorae 1658. in 12.* una cum *Infamia Famiani* cura IO. FABRI prodiit, altera, quae *Amstelod. 1663. in 12.* lucem vidit. Illa longe melior et emendatior est, quam haec, quippe quam innumerabiles deformant naevi. Fallitur MORHOFIVS noster, qui paullo post SCIOPPIVM in *Infamia Famiani* magnorum virorum dictionem exagitasse perhibet.

(h) *Franc. Vavassoris)* Eius observationes non ita pridem Cl. KAPPIVS cum Libro VAVASSORIS *de dictione ludicra* iterum edidit. *Lips. 1722. 8.* Iungatur his Viri venerandi et multis nominibus inclyti, IAC. FRID. REIMMANNI *Historia vocabulorum linguae Latinae Halae 1718. in 8.* edita.

VAVASSORE huic libro adiiciuntur, multa sunt, quae ad linguae Latinae nitorem pertinent, de quibus ille litteris ad MARIVM CORRADVM egit, ad quas eiusdem quoque responsoriae ibidem habentur. HENR. STEPHANVS *Dissertatione de Lipsii Latinitate* plurima Lipsiana sub virgulam censoriam vocat, ut sunt sane multa in illo non optimae monetae Latina, (i) quae et passim exaggerat SCIOPPIVS in *Infamia Famiani*, non STRADAM tantum, sed et SCALIGERVM, LIPSIVM, CASAVBONVM vellicans. Sed HENR. STEPHANI iudicium in hisce vacillat, adeo ut vel ipse titulus huius libri barbarismo non careat, cum *indigitandi* voce pro *demonstrare* utitur. (k) IO. VORSTIVS librum scripsit *de Latinitate merito suspecta, deque vitiis sermonis Latini vulgo fere non animadversis*, quo et ille multa notavit, quae a viris doctis passim male

(i) *Quae et passim exaggerat)* Pro LIPSIO eiusque dictione non inscite verba fecit FRID. TAVBMANNVS *Diss. de lingua Latin.* p. 42. s. libello elegantissimo.

(k) *Io. Vorstius)* Ad hunc *Vorstii* librum VINC. PLACCIVS multa collegit Additamenta. vid. PLACCII *liber de arte excerpendi* p. 203. 204. et *Index edendor. eius* p. 6. Ea nunc haud dubie inter reliqua eius inedita latent.

male usurpantur, quanquam et apud ipsum occurrant notata, quae defendi tamen possunt. Saepissime enim quaedam prava videntur, quae non sunt tamen, et sinistra tantum suspicione urgentur, adeo ut ALBERICVS GENTILIS ausus fuerit (l) Latinitatem versionis veteris Bibliorum defendere adversus eos, qui barbarismos et soloecismos in ea invenire sibi visi sunt. Titulus Dissertationis est: *De Latinitate veteris Bibliorum versionis male accusata* et iungitur ceteris eius *Dissertationibus de libris iuris Canonici et civilis Helmstad. 1674.* editis. Sed in illa dissertatione tamen multa sunt conquisita, quae si quis pressius excusserit, non consistent. Non occurrunt nunc plures auctores, qui Barbarismos singularibus libris collegerint. Nam NIZOLIANA illa dudum ab aliis sunt explosa, et iam pridem de illis monuit singulari Dissertatione, HENRICVS STEPHANVS,

 cui

(l) *Latinitatem versionis veteris)* Idem animo volvit consilium Vir egregius, et, si quis alius, longiori vita dignus, IACOBVS HASAEVS; cuius quidem specimen dedit *Bibl. Brem. Theol. Philol. Tom. IV. P. II. p. 328. s.* Nil dubitandum est, quin multa in ea versione pro barbaris et inficetis habeantur, quae meliorum scriptorum auctoritate nituntur et Latini sermonis, quum floreret, usu.

cui *Pseudo-Ciceronis* titulum fecit. Multa quoque sunt a scriptoribus istis, qui regulas elegantiarum Latinarum tradiderunt, BVCHLERO, DAN. PAREO et aliis notata, quae tamen non omnia reiicienda sunt et ab illis temere et sine accurata lectione reiecta sunt.

§. XI.

Ex his a nobis enumeratis auctoribus et ex iis, quae nos assidua lectione observavimus, collectanea purioris Latinitatis congerenda sunt, ut exemplo suo praeivit CHRISTOPH. CELLARIVS, qui ex his scriptoribus omnibus eleganti ordine collegit, secundum aetatum classes omnia distinguens, vindicata etiam ab aliis notans: Quibus addidit suas observationes a BORRICHIO amice impugnatas, ab illo defensas et denuo a quodam BORRICHII cognato ANDREA BORRICHIO vindicatas. Scripsit primo *Anti-Barbarum de Latinitate mediae et infimae aetatis*, cuius novissima editio prodiit A. 1682. Hinc A. 1687. edidit *Curas posteriores de barbarismis et idiotismis Latini sermonis*, ad quas *Curas posteriores* recognitas ANDREAS BORRICHIVS *Appendicem* scripsit, qua vindicantur illa, quae adversus OLAVM BORRICHIVM ille notaverat. Non fuerunt CELLARIO omnes, quos nos notavi-

tavimus, libri ad manus, e quibus locupletare suas observationes potuisset, neque TITII librum, *Manuductionem* scilicet *ad excerpendum* habuit, qui dudum ante illum in simili argumento versatus erat.

§. XII.

Recensuimus hactenus auctores, qui barbarismorum Lexica quasi quaedam scripsere, quorum vel ideo singularis esse cura debet, ut securiores esse possimus de vera et genuina Latinitate. Quemadmodum enim monstra vel ideo notari debent, ut forma cuiusque generis eo sit certior, ita monstrosae locutiones semel notatae, veram Latinarum vocum formam nobis ob oculos ponunt. Quare fuerunt, qui in sermone Latino hoc consilium paradoxum suppeditarunt, ut nonnumquam data opera barbare loquamur potius, quam ut fictas quasdam elegantias extemporali sermone sectemur, quae deinde in pravum habitum abeant et sub specie rectae Latinitatis imponant. VORSTII hoc consilium erat: *Etiamsi*, inquit ille, *natura facundus sis, data opera loquaris incomposite. Nam fere fit, ut qui loquuntur accurate, minus erudite scribant. Dum enim rerum illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores oportet sint in altero.* Quam sententiam etiam probare videtur; HENRIC. STEPHANVS

 in

in *Praef. Libri de Latinitate falso suspecta*, ubi notat, Italos plerumque barbare loqui, quamvis nitidissime scribant. Quod notavit inter alios quoque SCIOPPIVS in *Grammaticis* suis *Dissertationibus*, qui exercitium Latinae linguae in sermocinando omne dissuadet propter barbarismorum familiaritatem, solam vero scriptionem unice commendat. (m) Huius ego consilium amplecti malim, quam alterum eorum, qui data opera barbare loquendum esse existimant. Semper enim aliquid ex familiari sermone haeret et labem aliquam sermoni contrahit, quam ob quotidianam consuetudinem postea non facile animadvertas. Quod si essent, qui nitidissime loquerentur, nemo, ut puto, tam stultus esset, qui istam sermocinandi consuetudinem dissuaderet, cuius beneficio ad perfectissimam linguae latinae notitiam adspirare possemus. Sed quoniam paucissimi illi sunt, neque eorum copia semper haberi potest, prae-

(m) *Huius ego Consilium)* Ego vero neutrum probaverim. Nam ut prius absurdum prorsus videtur esse, quod nemo rationem huius sententiae perspicere queat: *Barbare loquendum est, ut eleganter scribere discas*: ita posterius paullo licet sapientius, pariter suspectum est. vid. quae monuimus superius ad *Cap. V. §. XII.*

praeftat hic mutis magiftris, bonis fcilicet auctoribus, quam loquacibus, uti.

§. XIII.

Fuere quidem, qui confilium hoc fuppeditarunt, ut quotidiano colloquio familiaritatem linguae Latinae nobis acquiramus, neque defunt exempla eorum, qui feliciter id praeftiterunt. Puerili enim aetate quinque et fex annorum fatis eleganter animi fenfa Latine efferre potuerunt, (n) ut MONTANVS, Gallus, et puer ille quadrimus, qui Regi Galliae exhibitus fuit, perfectiffime omnia Latina lingua exprimens et barbaras aliorum locutiones cenfura notans, non alia, quam hac, ut dixi, methodo inftitutus. Nec deerant, qui fuadebant, talem Latinam civitatem inftituendam effe, qua omnia Latine dicerentur. Sed caruit tamen res fucceffu, (o) non omnino ftulto confilio fu-

K 5 fce-

(n) *Ut Montanus, Gallus)* vid. MICH. de MONTAGNE *Effais Lib. I. cap. XXV*, et MORHOFII *Polyhiftor Tom. I. Lib. II. cap. IX. p. 421.* ubi copiofius haec edifferit.

(o) *Non omnino ftulto confilio)* Quod tamen vir eximius, CHRISTOPH. AVG. HERMANNVS, non contemnendis rationibus vanum et nullius utilitatis effe, demonftrare voluit *Poeciles Tom. I. Lib. I. p. 97. f.*

ſcepta, forte quod eſſent, qui ſcholarum cauſſam agerent, quarum pretium ea ratione minueretur.

§. XIV.

Poſt Barbariſmos omnis Latinae linguae *inſolentia* notanda eſt, quae conſiſtit in *Archaiſmis, Neoteriſmis, Helleniſmis*, quorum exempla ſuppeditat CASP. SCIOPPIVS in *Diſſ. de Rhetoricar. exercitation. generibus* p. 10. Videndus etiam BVCHNERVS *Lib. I. de commutata ratione dicendi cap. XX.* et POPMA in *Libro de uſu antiquae locutionis*, qui ſubiicitur eius *Tractationi de vocum differentiis*. Verum in his omnibus prudenter verſandum eſt; non enim ſimpliciter iſta reiicienda ſunt et pari iure cum barbariſmis habenda. Rectum adhibendum eſt iudicium, quo in loco commode uſurpentur, quo minus commode. Helleniſmorum ſingularis ratio habenda eſt. Nam quum Latina lingua magnam elegantiae ſuae partem non tantum, quod ad verba attinet, ſed quod ad conſtructionem, a Graecis ceperit, diligenter notandae ſunt illae locutiones, quae Graeciſmum ſapiunt et cum Graeca loquendi ratione conveniunt. Qua in re utilem operam praeſtitit DANIEL VECHNERVS in *Hellenolexia* ſua ſive *Paralleliſmo Graeco-Latino*. Nam a Graecis barbariſmi non

non invecti sunt in linguam Latinam, cum domestica linguae Latinae Graeca sit et quasi mater. A Gothis, aliisque barbaris populis, Hispanis, Gallis, maior peregrinitas in linguam Latinam est invecta. Quanquam tamen et Gothis ea laus debetur, (p) ipsorum beneficio Latinam linguam esse servatam, quae, si iure victorum illi uti voluissent, facile pessum ivisset, ut demonstrat MELCH. INCHOFERVS, *Historia sacr. Latinit. Lib. III. cap. VII.* ubi multa occurrunt, quae Historiam latinae linguae illustrant.

§. XV.

Multa sunt in sermone Latino, praeter barbarismos et soloecismos, quae fugienda sunt illis, qui purum et nitidum sermonem Latinum affectant. SCIOPPIVS vitia sermonis ita distinguit: *Vitiosae locutiones aliae homine indignae sunt, aliae homine Romano ingenuo, aliae homine Romano diserto. Homine quovis indigna est obscuritas, homine Romano insolentia et impurus sermo, homini Romano nobili turpia sunt vilitas, levitas,* *quae*

(p) *Ipsorum beneficio)* Gothorum nimirum in Italia Reges epistolas et edicta sua, ut quondam Romani, Latina lingua conscribi et proponi iusserunt. Argumento sunt, ut multa alia praeteream, *Libri XII. epistolarum varii generis* CASSIODORI SENATORIS.

quae sordes vulgo admissae, κοινονισμος *sive communitas*; de quo vitio etiam Quintilianus Lib. VIII. c. I. Tale illorum est, qui nullo discrimine verba scriptorum aetate et genere dissimillimorum usurpant. Haec etsi inter barbarismos non referenda sunt, tamen nescio quid peregrini linguae Latinae infundunt, ideoque sedulo vitanda sunt illi, qui purum sermonem in lingua Latina amat.

§. XVI.

Quoniam linguae Latinae magna est per orbem terrarum dispersio et per varias gentes distractio, accidit illi, quod fluminibus solet, quae per terras, quas transeunt, sapore aliquo peregrino imbui solent. Qui enim in gente illa nati sunt, quae adoptivam linguam Latinam habet, aliquid e vernaculae linguae genio in Latinum sermonem inferre solent, ut in omnibus assumtis linguis fieri consuevit, in quas consuetudo familiaris ius aliquod exercere solet. Ita apud Italos Italicismi, apud Gallos Gallicismi, apud Hispanos Hispanismi, apud Germanos Germanismi regnare solent in adscititia lingua Latina, a quibus sedulo cavendum est illi, qui purum Latinum sermonem consectatur. Nam cum hoc vitium, florente lingua Latina, in ipsa urbe Roma Latinum sermonem infamarit, ut peregrinitatis infusae

fusae querelae ubique apud auctores inveniantur Latinos, quid nunc non fieret, cum lingua Latina civilis esse desiit, et incorruptae Latinitatis vivi magistri desint, quos Roma antiqua habuit, quae tamen cum peregrinarum gentium colluvie saepe luctata est? Quare diligens linguae Latinae observatio in classicis auctoribus instituenda est et accurate notandum, qua in re phraseologia Latina a vulgari discrepet: quod nunquam accuratius observabitur, quam si crebra in versionibus instituatur exercitatio, ut aliquid e Latina in vernaculam et e vernacula in Latinam linguam transferatur. Hoc velut lapide lydio omnis illa phraseologiae ratio examinari poterit.

§. XVII.

Non tamen hoc perpetuum est, ut omnis phraseologia vernacula in Latina lingua ut peregrina sit reiicienda. Accidit enim nonnunquam, ut in lingua Latina phraseologia quaedam occurrat et verborum constructiones nonnullae, quae cum aliarum gentium lingua et constructione plane conveniant, et proinde non inter vitia, sed inter laudabiles locutiones referendae sint. Hae loquendi rationes, quanta fieri potest cura, diligenter observandae sunt, ne nobis specie familiaritatis aut peregrinitatis imponant. Ac sane optandum esset, esse in quavis

vis gente, qui tales obſervationes inſtituant. Cum enim occulta haec ſint vitia et vel peritiſſimos ſaepe fallant, operae profecto pretium eſſet, ſi in ſingulis gentibus eſſent, qui haec ſcrutarentur curioſius. In BARCLAIO eiusque phraſi multos ſibi Gallicismos deprehendere viſus eſt SCIOPPIVS: quod facile crediderim, cum magna illi ſit fingendae phraſeologiae licentia et translatis ex ingenio fingendis ſaepe indulgent. Quod cum fit ſaepe imponere nobis ſolet familiaris translatorum uſus, quo nulla ad corruptelam linguae Latinae pronior occaſio eſt. E translationum enim abuſu proxima ad ſermonis corruptelam via eſt.

§. XVIII.

Laudabiles in lingua Latina Gallicismos, id eſt, illos, qui cum linguae Latinae phraſeologia conveniant HENR. STEPHANI collegit in *Expoſtulatione* ſua *de Latinitate falſò ſuſpecta*, quae ex ipſius Typographia *1576. in 8.* prodiit. Cuius induſtriam imitatus eſt in Germanica lingua IO. VORSTIVS, qui ſimili titulo (q) librum ſcripſit de

(q) *Librum ſcripſit)* Ad hunc etiam VINC. PLACCIVS non paucas acceſſiones paratas habuit et auctori obtulit. vid. *Liber* eius *de arte excerpendi p. 203. 204.*

de Latinitate falso suspecta, deque linguae Latinae cum Germanica convenientia, quo omnem illam phraseologiam collegit, quae Germanicae consonat. Vnde notari possunt istae locutiones, quae Germanismorum speciem habent et in lingua tamen Latina locum inveniunt.

§. XIX.

In illis tamen hoc notandum est, ne in eorum affectatione nimis simus frequentes. Etsi enim illae loquutiones sparsim usurpatae non reiiciendae videntur, tamen si quis data opera ex illis sermonem texere velit, peregrinitatis aliqua species, si non e singulis phrasibus tamen e toto sermonis habitu apparebit.

Capvt XI.

De observatione puritatis instituenda.

§. I.

Qvandoquidem lingua Latina civilis esse desiit, ut e communi usu et consuetudine loquentium eius censuram instituere non possimus, illud unicum nobis relinquitur, ut e lectione auctorum verum vocum phrasiumque usum tum in se, tum in constructione discamus. Quem

Quem cum Grammatici nobis dare non possint; illi enim ea tantum sectantur, quae communia sunt, et quae certis regulis comprehendi possunt, nostrae industriae relictum est, ut particularia illa et singularia, quae ad certas regulas revocari non possunt et propemodum infinita sunt, nostra industria indagemus.

§. II.

Et quoniam omnis Latini sermonis facultas in imitatione consistit, illud nobis praefigamus, eam imitandi rationem in singulis verbis, phrasibus, et formulis consistere, nihilque vere Latinum purumque dici posse, quod non ab aliquo classicorum scriptorum, florente Latina lingua, usurpatum fuit. (r) Ad omnes sermonis Latini minutias

(r) *Ad omnes sermonis)* Haec et alia eius generis praecepta ad eos pertinent, qui in eloquentiae studio aetatis partem consumere, et aliis ad eam duces esse volunt. Reliquis, qui ad alia studia animum appellere statuerunt, sufficit, si proprie et perspicue cogitationes efferre discant. Et consilii inops ille foret, qui in observandis Latini sermonis elegantiis consenesceret, nec res verbis vocibusque longe praestantiores esse secum cogitaret. Est aliquid, in iuventute hanc etiam doctrinae partem attingere: maturior aetas apud plerosque alios mores desiderat. Nisi forte quis tanta

nutias respiciendum nobis est, videndumque, quid in verbis singulis, coniunctis, constructis usu obtineat, seduloque illa notanda, quae certe omnem Grammaticorum et Lexicorum industriam fugiunt, neque ab illis requiri possunt, cum illi intra certos carceres subsistant, haec vero testam late evagentur, ut non unius hominis industriam, sed multorum, imo seculorum, labores requirant. Quare mature hoc observandi studium nobis inchoandum est et quidem in prima iuventute, si aliquem fructum huius laboris percipere velimus. Ita fiet, ut facultatem puri sermonis nobis e lectione et usu comparemus, quem Romani olim e quotidiana loquendi consuetudine habuerunt. Nam, ut CICERO eleganter ait, *omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia litterarum, tamen augebitur legendis Oratoribus et Poëtis.* Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes tamen praeclare locuti sunt, quorum sermoni assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem loqui poterunt, nisi Latine. Quae si CICERONIS aetate consilia rectae locutio-

 nis

tanta praeditus sit ingenii felicitate, ut uni pluribus par esse possit negotiis et aliud veluti agendo etiam hic multum efficere.

nis habita fuerunt, multo magis nostro tempore habenda sunt, qui, cum usum linguae civilem non habeamus, e sola lectione proficere possumus.

§. III.

Quare recte ad hanc observationem instituendam adhortatur BERNHARDINVS PARTHENIVS *Lib. III. de imitatione Poëtica* lingua Italica scripto *p. 104. 105. Assidui,* inquit ille, *debemus esse in lectione bonorum auctorum, considerando elegantiam, puritatem, proprietatem, quae voces suo, quae alieno loco consistant, quae diversimode sint constructae, quae sint purae, quae simplices, quae duplicatae et repetitae, quibus utamur ad ornamenta et expolitiones, quae verba sint aspera, quae iucunda et dulcia, quae volubilia, quae tarda, quae sonora, quae languida et muta, quae levia et laeta, quae tristia et molesta, quae gravia, etc. e qua consideratione saepe accidit, ut velut sententiarum lumina accendantur.* Sed haec ad ornatum sermonis potius, quam ad puritatem eius pertinent. Quae puritas si per se sola consideratur, non adeo se extendit, quam ornatus, qui e Rhetorica arte provenit: quanquam et eius quaedam sit puritas. Nam et in ornamentis Rhetoricis quidam puritati locus est, cum illis utimur, quae ad simplicem cultum et ornatum pertinent

nent, omne vero illud, quod fucatum est, excludimus.

§. IV.

Huius obſervationis inſtituendae ex omnibus, quotquot ſunt, Grammaticis unum nominare ducem poſſum, ANTONIVM SCHORVM, qui in *Libris de docenda diſcendaque lingua Latina et Graeca* et in *Praefat. Phraſium Latinarum* viam hanc expeditiſſimam dedit, non tantum in præceptis, ſed etiam in exemplis. Nam (s) in *Praefatione* illa, quam FRANC. VAVASSOR, ſcriptor Gallus, *Libro de Epigrammate totam auream* vocavit, communia quaedam praecepta dedit et in *libro de docenda diſcendaque lingua Latina* ex epiſtolis CICERONIS ſingulares quasdam obſervationes ſuppeditavit unde exemplum capere poſſimus, ſi in lectione auctorum ſimili ratione obſervationes noſtras inſtituere velimus. Quem auctorem, ut praecipuum et palmarium in hoc genere, prae

(s) *in praefat. illa)* Eam IOH. KER dignam duxit, quam *Libro alteri ſelectarum de lingua Latina obſervationum, Londin. 1708. in 8.* editarum praefigeret. Notum quoque eſt, quod magni nominis Philologus RHENFERDIVS SCHORI viam in hac *Praefatione* monſtratam ad Ebraeam linguam aptare ſtuduerit. Conf. quae ſupra notavimus.

ceteris omnibus commendo. Nam qui poſt illum hoc in genere quaedam ſcripſerunt, vel eius vineta caedunt, vel ieiune in hoc argumento verſantur. Solus ille animo vaſtitatem huius argumenti complexus eſt, quam etſi ille complere non potuit, ubertate rerum victus, habemus tamen in illo ducem, qui viam deſignet optimam, quam ſectari ſine errore poſſimus.

§. V.

Primum in omni obſervatione eſt, ut obſervemus *proprietatem* vocis et phraſeos, earumque *vim et ſignificationem* ne confundamus illa, quae affinia ſunt, ſed ſuo quodam modo et formali diſtincta. Ad quam claſſem illa vocabula et phraſes pertinent, quae rem unam quidem ſignificare videntur, ſed tamen inter ſe valde ſunt diſtinctae. Sic e. c. *uti* et *frui* idem pene videntur ſignificare, ſed diſtinguuntur tamen ratione ſubiectorum, quibus applicantur. Non enim dicimus *uti voluptate*, ſed *frui*, neque *frui inſtrumento*, ſed *uti*. Sic *poſcere et flagitare* aliquem *pecuniam et veſtem* recte dicitur, ſed non *rogare*, neque *obſecrare*, aut *orare pecuniam*, cum tamen eae voces unum idemque videantur ſignificare. Sic eadem verba ratione flexionis, ratione collocationis, ratione caſus

ali-

aliter aliterque usurpantur. Sic *sciscere* in legibus rogandis dicitur, non *adsciscere*. *Accessio* et *accessus* ab eodem quidem verbo sunt, dissimilem tamen vim habent. Ita purius dicitur in praeterito *convelli*, *avelli*, *divelli*, *revelli*, non *convulsi*, *avulsi*, *divulsi*, *revulsi*. In his considerandum est, qua differentia significationis verbum unumquodque apud classicos auctores efferatur. Haec etsi quidem ab antiquis Grammaticis sunt notata, manca tamen illa sunt et mutila, plurimumque hic uniuscuiusque industriae relinquitur. Quare diligenter legendus est, qui hic nobis subsidio esse potest, AVSONIVS POPMA, *Frisius*, in *Libro de differentiis verborum*, etsi in illo multa notanda sunt, in quibus rem acu non tetigit. Prodesse tamen, quum meliores deficiant, multis modis potest. Quod si hoc argumentum, ut quidem instituit, pertractasset (t) ANTON. SCHORVS, quod in *praefatione* citata fecisse se testatur, pleniores hac quidem in parte observationes haberemus. Sed liber ille lucem non vidit et paucula tantum occur-

(t) *Anton. Schorus) Tum quoque*, inquit ille, *in libro de differentiis, quasi propius locus notae cuiusque vocabuli consignandae nobis dabitur. Praef. nomin. p. 13. 14.*

runt in *Thesauro* eius *Ciceroniano*, quibus in defectu accuratioris operis uti possumus.

§. VI.

Notanda etiam sunt illa vocabula et verba technologica, quae vel ad artes et disciplinas, vel ad actus civiles pertinent, de quibus iam ante diximus. Hae enim propriae voces et formulae sunt, quae puritatem per se inferunt.

§. VII.

Postquam haec notavimus, illae voces, phrases et formulae prae ceteris notandae sunt, quae a vernacula lingua quam maxime discrepant. Cum enim confusio utriusque linguae vernaculae et adscititiae maxime nobis imponat, seiungenda haec esse recta ratio suadet, ne barbarismos e patrio sermone in purum Latinum sermonem inferamus, et in Romana lingua hospites et exules, dum a civitate nostra discedere nolumus, esse videamur. Prima hic ad impurum sermonem fenestra panditur, ideoque omnis illa via occupanda, omnes rimae obstruendae sunt, per quas puri illi fontes labem aliquam contrahunt.

§. VIII.

Quemadmodum puritas sermonis primum iudicatur ex iis *subiectis*, quibus adiunguntur verba, et ex iis *praedicatis*, quae de

de *subiectis* dicuntur: ita ex *coniunctis* puritas vocum aestimari quoque potest. Alterum ergo hic locum tenent *Synonyma*; quae rectius vocemus *coniuncta*. Eorum accurata habenda est ratio et in auctoribus classicis observationes instituendae, quomodo illa iungantur et quam in ipsa coniunctione differentiam habeant. Non enim adeo ex asse sibi respondent *Synonyma*, sed semper aliqua diversitatis ratio apparet: *Synonyma* tamen habentur, quoniam apud classicos auctores in sermone coniunguntur, sed tamen ex ipso usu et collocatione ea facile differentia apparebit, cum interdum ad numerum orationi conciliandum et ad emphasin aliquam praestandam adhiberi soleant.

§. IX.

Solent quidem interdum in una eademque periodo vel etiam diversis voces idem significantes adhiberi, ut vitetur repetitionis taedium, ut cum quis *defendere*, *patrocinari*, *adesse*, quae unum idemque significant, adhibeat, ne una voce nimis crebro utatur, ut fecit PLINIVS in *Prooemio Libri XVIII.* cuius haec sunt verba: *Qua in parte primum omnium patrocinari terrae et adesse cunctorum parenti iuvat, quanquam inter initia operis defensae.* Ita, quod recte notavit HERMOGENES *de metho-*

do cap. IV. Synonymis utendum est. Sed si rei tamen evidens atque expressa perdatur significatio, potius uno vocabulo uti saepius suadet, quam copiam sermonis inepte atque intempestive ostendere. Iudicio ergo opus est in coniunctione Synonymorum, ut monet BVCHNERVS *Libro de commutata ratione dicendi cap. I. §. III.* Nam etsi quidem interdum verba coniungi possunt, tamen separatim non iisdem subiectis iunguntur. Ita *intelligo, sentio* et *video* saepe idem valent, quod *scio* (u) non tamen de intellectu animi, ut FABIVS monet *Libr. X. cap. I.* recte dixerim, *video*, nec de visu oculorum, *intelligo.* Sic *ex. gr.* in *Oratione pro lege Manilia* CICERO ita loquitur: *ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes*

(u) *Non tamen de intellectu)* QVINTILIANI *loc. indic. p. 588. ed. Obrechti* haec verba sunt: *Nec sicut de intellectu animi recte dixerim,* video, *ita de visu oculorum,* intelligo. Ex quibus apparet, quod MORHOFIVS mentem ejus hic perperam exposuerit. Concedit namque QVINTILIANVS recte de intellectu animi verbum *video* adhiberi: idque innumerabilibus bonorum auctorum exemplis ostendi potest: negat vero, vicissim verbum *intelligo* de visu oculorum usurpari debere. Quamquam et hoc fortassis in dubium vocari posset.

hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Ubi notari possunt verba Synonyma *assentire, obtemperare, obedire, obsecundare,* quae generali quadam significatione consensum aliquem significant, ut eam ob caussam Synonyma et coniuncta haberi possint. Verum si subiecta consideres, quibus illa praedicata tribuuntur, invenies magnam esse in significatione disparitatem, ut nulla in illis verbis ταυτολογία sit. Tribuit enim CICERO praedicata subiectis, quae illis conveniunt: ita *cives* dicuntur *assentire*, quod est liberrimum, *socii obtemperare,* quod est magis adstrictum: *hostes obedire*, quod est necessarium; *venti obsecundare,* quod proprie ista vox de ventis dicatur, unde et *ventus secundus* dici solet. (x) Quare ex hoc illu-

(x) *Quare ex hoc*) Observationes huius de Synonymis ratio et vis melius, ut existimo, percipietur, si quis ad sequentia attendat. In omni actione duo sunt spectanda, *ipsa actio* et *principium actionis.* Quamvis enim inter se conveniant *actiones* longe plurimae, magna tamen est earum disparitas, si *principium*, ex quo fluunt illae, consideremus. Itaque in omnibus linguis vocabula sunt, quae *actionem*, ut in se spectatur, exprimunt, et alia, quae simul *principium actionis* designant. Posterius hoc vocabulorum genus interdum generalio-

illustri exemplo patet, ita Synonyma haec esse posita, ut tamen diversitatem ali-

---

raliori ponitur significatione pro ipsa actione; interdum vero, ubi res id postulat, non quibusvis promiscue, sed certis tantum adaptatur hominibus. In hoc magna pars vertitur huius observationis, cuius non in dictione tantum, verum etiam in interpretatione et sensu auctorum investigando longe maxima est utilitas. Ut exemplum afferam, *laudare* generale est vocabulum. At non omnes ex uno fonte et principio proficiscuntur laudes. Hic enim alium idcirco laudat, ut ipsi commodum aliquod procuret, alius vero propterea tantum, quod eum laude dignum esse, censet. Ergo ut discrimen hoc indicaretur, distinctis opus fuit vocibus, Latinique hoc *probare* dixerunt, illud *commendare.* Interea quum uterque et qui *probat*, et qui *commendat*, si externa cogitetur actio, idem faciant, ideo *probare*, *laudare*, *commendare*, ita interdum adhibentur, acsi pari potestate et iure uterentur. Quod secus fit, si caussa sit indicanda, quare quis laudibus aliquem affecerit. Pariter ipsae actiones gradu differunt, quod omnes norunt. Hinc quibus gradus illi exprimerentur, vocabula erant necessaria. At in usu communi non id discrimen semper observatur, sed promiscue ponuntur vocabula illa, quae gradus actionum significant. *Amare* et *diligere* quotidie coniunctim ponuntur; et haec tamen vocabula diversos gradus actionis designant? Pari modo *laudare* et *praedicare* diffe-

aliquam inferant, pateatque ex ipsis verbis harum vocum differentia, quae tamen sub communi illo et generico conceptu consensus conveniunt, atque ita positae plenitudinem orationi conciliant et concinnitatem, ac numerum oratorium vehementer augent.

§. X.

Est tamen, ubi differentia illa non semper observatur, solaque numerosa dictio in periodo efformanda attenditur. Nam cum CICERO dicit pro FLACCO: *Remittant spiritus, comprimant animos, sedent arrogantiam*, in ipsis illis verbis non magna differentia est, sed sola hic dictio numerosa et concinnitas attenditur, quae, multiplicatis subiectis et praedicatis, mirum in modum ornatur et augetur, et necessaria est, ubi vehementia quaedam orationis exprimenda est in figuris, in affectibus, in argumentis magni momenti.

§. XI.

differunt. Non mihi commentarius hic scribitur: alioquin eius generis nonnulla alia monere possem. Id tamen monere licebit: Si omnes, qui de linguis et re Grammatica praeceperunt, ad certa rationis principia, id quod plerumque fieri potest, decreta sua revocassent, et ipsimet minori invidia, et linguae paucioribus difficultatibus et leviori taedio laborarent.

§. XI.

Occurrunt tamen interdum loca, ubi vehementia orationis non tam attenditur, quam numerus et concinnitas periodi, cum verba idem significantia statim sibi junguntur, ut cum CICERO dicit *in Verrina quinta: Tamen in tanto conventu nemo erat, quin rationem numerumque haberet, et reliquos non desideraret solum, sed etiam posceret et flagitaret* (ubi semel nota differentiam inter verba *desiderare* et *poscere*) *in eorum locum substituere et proponere coepit cives Romanos.* Plura dabit exempla ipsa CICERONIS lectio, quae diligenter notanda sunt, ut intima purae et civilis orationis arcana, quae in vocum συζυγία et particularum nexu magnam partem consistit. Quod et in Germanica lingua usu venire videmus et in primis in epistolis publicis, quae singulares eiusmodi vocum nexus habent diligenter notandos.

§. XII.

Consistit illa Synonymia non in singularibus tantum vocibus, sed et in phrasibus, quae sub certis titulis colligi possunt et magno usui sunt ad copiam sermonis obtinendam. Quare referantur huc, quae supra de phrasibus dixi: illarum enim complicatio et multiplicatio non solum orationem numerosam reddit, sed etiam significantiorem.

rem. Vt enim in verbis singulis, ita quoque in phrasibus vis orationis consistit: quae mirifice orationem amplificant; et eam ob caussam diligenter illae colligi debent.

§. XIII.

Cum tantus Synonymorum usus sit non tantum ad puritatem vocum investigandam, sed et ad copiam orationis conciliandam, diligenter illa simul coniuncta observari debent, aliique auctores notandi sunt, qui hanc nobis operam praestiterunt. Inter eos est ANTONIVS IOLIVS, vulgo IOLIS AVSETANVS, e Cataloniae principatu, cuius meminit NICOL. ANTONIVS in *Bibliotheca Hispanica*. Extant eius *adiuncta Ciceronis seu verba, quae Cicero simul dixit*, tanquam Synonyma aut vicini sensus. Editus ille liber *Barcinone 1579. in 8.* sed nunquam illum mihi videre contigit. Post haec tempora STEPHANVS VBELIVS *Leovardiae 1607. in 8.* in lucem edidit *Synonyma Ciceronis* et aliorum quorumdam linguae Latinae auctorum, SALVSTII, PLAVTI, LIVII, CVRTII, LVCRETII, sed exiguus ille labor est, multisque modis augeri potest. Paucissima enim tantum ex omnibus illis auctoribus collegit. Quamquam magno illa usui esse possunt in oratione scribenda

et

et ad periodicae dictionis formam concinnandam: cui fini inservire potest *index* libello subiectus qui si consulatur, statim patebit, (y) quae voces apud CICERONEM aliosque auctores classicos simul iunctae fuerint, et ad periodum formandam adhiberi possunt.

§. XIV.

Puritas et proprietas vocum Latinarum *ex finitimis*, quibus adiunguntur, disci potest, ut iam vidimus, scilicet subiectis, quibus tribuuntur, et Synonymis, quibus coniunguntur: videamus nunc, quomodo etiam disci possit *ex illis, quibus explanantur.* Explanantur autem *per epitheta*, quae vocibus substantivis adiungi solent, et ex adiunctione sua de ipsa vocis vi quodammodo testantur. Variae enim indolis *epitheta* sunt: quaedam enim tantum adduntur ad sermonis plenitudinem aut ornatum, quaedam otiosa tantummodo sunt, et voci ipsi, cui adduntur, nullum novum conceptum superaddunt, quae epitheta, ut pleonasmi, vel nullum, vel exi-

guum

(y) *Quae voces)* Hic etiam commode plerumque iuvabit NIZOLIVS, qui in *Thesauro Ciceroniano* ad vocem quamlibet affines voces et loquendi modos, nec semper ex solo CICERONE, notavit.

guum in oratione usum habent. DONATVS *Comment. in Terentii Eunuch. Act. II. Scen. III.* ait: *Epitheta de tribus caussis nominibus adduntur, discretionis, proprietatis et ornatus;* e quibus duae priores caussae tacite inferunt, et epithetis disci posse vocum discretionem et proprietatem. Quae si de singulis vocibus haberi possunt, via iam ad puritatem sermonis, etiam per epitheta dignoscendam, strata est. Nam quod ad ornatum pertinet et numerum orationis, illud nunc non adeo consideramus. Et hoc quidem praecipue post oratores considerant poëtae, qui magnam orationi poëticae gratiam ex epithetis conciliant; in quibus colligendis multi operam non vulgarem posuerunt, RAVISIVS, CALAGIVS, (z) NICOL. LE ROVX: qui posteriores distinctius illam epithetorum congeriem proposuere, quam RAVISIVS, qui omnia miscuit. NIC. vero LE ROVX pleraque, ut videtur, e CALAGIO in rem suam transtulit.

§. XV.

Oratoriorum epithetorum singularem *librum* scripsit PETRVS IOA. NVNNESIVS,

(z) *Nic. le Roux)* Eius *Selectum Epithetorum Latinae Poëseos, Parisiis 1631. in 8.* editum vidi: CALAGII nihil mihi licuit inspicere.

SIVS, qui e CICERONE epitheta collegit, adiectis locis, unde illa deſumta ſunt, (a) quo feliciter in oratione amplificanda uti poſſumus, cui praecipue epitheta inſerviunt. Scripſit et SEBAST. FIGVLVS *Epithetorum oratoriorum farraginem* poſt NVNNESIVM, in qua non tantum ex CICERONE, ſed etiam ex aliis ſcriptoribus, CAESARE, SALVSTIO, TERENTIO, VARRONE, COLVMELLA, PALLADIO, CATONE, PLAVTO talia epitheta collegit, non tamen adiectis auctorum locis, ſine quibus tamen verum de ſenſu vocum iudicium perhiberi non poteſt.

§. XVI.

(a) *Quo feliciter in oratione)* Vt his ſubſidiis multum iuniores in oratione formanda adiuvari poſſe, eisque ad maſculam eloquentiam iter quodammodo ſterni non inficior: ita praeclarum illud HORATII monitum in qualibet eiusmodi regula ex animo non eſſe dimittendum exiſtimo:

Scribendi recte ſapere eſt et principium et fons
Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae
Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.

de arte Poëtica v. 315.

§. XVI.

Ut substantivorum adiectiva sunt epitheta, ita verborum adverbialia, quibus vis illa verborum vel intenditur, vel quomodocumque circumscribitur aut modificatur. Quorum epithetorum insignis est usus in augenda et amplificanda oratione, quaeque eadem ratione ad distinctionem et proprietatem verborum usui esse possunt. Ea collegit HVBERTVS SVSANNAEVS, in *connubio adverbiorum* saepius edito, in quo e CICERONE adverbiorum usum additis locis demonstrat.

§. XVII.

De Epithetis in universum multa moneri possent, sed quae non sunt huius loci. Nos enim epithetorum tantum hic mentionem fecimus, quatenus verborum distinctioni inserviunt, et ad sermonis puritatem aliquid conferre possunt. Nam cum illa considerantur quatenus ad ornandam pertinent orationem, aut ad complementum aliquod illi conciliandum inservire possunt, nunc quidem de iis nobis agendum non est. Videatur de illis, quantum etiam ad ornatum pertinet, SCHRADERI *commentarius in Aristotelis Rhetoric. Lib. III. cap. III. §. III.* qui in Germanica lingua similem epithetorum operam institui optat, ut in Latinis instituit NVN-

NESIVS et FIGVLVS, sed forte nescivit vir doctissimus, eius rudimentum iam tum a JO. RVDOLPH. SATTLERO esse datum et prima istius operis lineamenta ducta, cuius vestigiis insistere possunt, qui e Recessibus Imperii, monumentis publicis LVNDORPII et aliorum similia instituere collectanea velint. Liber SATTLERI inscribitur: Teutsche *Orthographia* und *Phraseologia. Basileae 1607. et 1658. in 8.*

§. XVIII.

Ad puritatem dictionis magnum pondus afferunt *Antitheta* seu *Opposita*, verba scilicet illa, quae quomodocumque sibi opponuntur, sive *contrarie*, seu *contradictorie*, seu *privative*, seu *relative*: nam ex omnibus his differentia quaedam vocum desumitur et proprietas earum magis elucet. Quemadmodum enim res rebus collatae diversitatem suam satis ostendunt, ita quoque verba verbis collata: ut vulgari etiam canone philosophico firmatur, contrariorum iuxta se positorum faciliorem esse cognitionem. Quare aeque magnam, si non maiorem operam Latinae linguae praestant, qui contrarietatem verborum, quam qui convenientiam ostendunt. Ut enim in convenientibus verba similia aliquod de vocibus iudicium subministrant, sed non satis firmum et constans, cum nulla

nulla adeo sint convenientia verba, quin aliqua in illis sit discrepantia: ita qui contrarietatem ostendunt, plura afferunt argumenta et indicia, quibus verba a verbis internoscant, ut adeo rectius de singulis verbis iudicium haberi possit.

§. XIX.

Quare bene de Latina lingua meriti sunt, qui verborum oppositorum et contrariorum indicem nobis dedere, quod quidem (b) ab ANTON. SCHORO in *Thesauro Ciceroniano* aliqua ex parte factum est: sed pleniorem hunc nobis laborem dedit AVGVSTINVS GAMBARELLA, *Mediolanensis*, in libro, qui inscribitur: *Antithetorum amica simultas, Mediolani 1619. in 4.* edito, quo in libro e PLAVTO, TERENTIO, CAESARE et CICERONE opposita collegit, verbis et locis integris adductis, ut plenum de quovis loco iudicium institui possit, quod non solum ad verborum vim, proprietatem et puritatem deprehendendam prodest, sed et singulare in amplificanda oratione subsidium praestat. Ut enim Synonymis et Epithetis orationem amplificamus, ita antithetis quoque, et

(b) *Ab Anton. Schoro)* Nec non NIZOLIO, qui in *Thesauro* etiam plerumque verba opposita solet commemorare.

et eo magis, quo maiorem ſermoni gratiam antitheta conciliant. In his videmus quae vox voci et quoties opponatur et quo ſenſu: cumque in oratione vel vox vel phraſis ſimplex ponitur, ſtatim patebit, ſi hic evolvatur, an oppoſita quadam vel phraſi vel voce amplificari poſſit. Unde oratio Latina magnam copiam acquirit. *Ex. gr.* Si unicam illam vocem *virtus* inquiras, videas, quam multis ſimul opponi poſſit, ut ambitioni, audaciae, caſui, deſidiae, dolori, dolo, felicitati, flagitio, fortunae, furori, humilitati, imbecillitati, infirmitati, inſidiis, libidini, maleficio, mollitiei, nequitiae, obſecrationi, peccato, perfidiae, pertinaciae, ſceleri, temeritati, turpitudini, vitioſitati, vitio, voluptati. De ratione huius collectionis et uſu videatur auctor in *praefatione* huius libri.

§. XX.

Hae ſunt, quae ex obſervatione coniunctorum, affinium et repugnantium verborum inſtitui obſervationes poſſunt. Longe plura in ipſa lectione obſervari poſſunt, ſi quis illa, quae apud claſſicos auctores inveniuntur, accurata obſervatione notarit. Quare omnia illa, quae habentur apud nonnullos auctores, de vocum delectu obſervata probe notanda ſunt et ad quasdam velut regulas et canones exigenda. Nam

ut

ut vocum proprietas ex cognatis et contrariis colligitur, ita ex usu auctorum iudicandum est, quae voces cui loco et quibus subiectis conveniant. Quem in finem tam anxia diligentia (c) a Graecis olim vocabula censuris singularibus notata, ut poëtica ab oratoriis, oratoria a civilibus et historicis distinguerentur, singulisque peculiaria quaedam lexica tributa. Habent nempe singuli dictionum characteres suas quasdam voces sibi singulares, quarum in ceteris non iste usus est. Ita in oratione voces numerosae, polysyllabae, sonantiores, graviores praeferuntur brevibus, exilibus, asperis, et eo in loco commodam sedem inveniunt, unde ex iis bene adhibitis sermonis puritas in plena oratione iudicanda est. Puritas enim sermonis hic ita attenditur, ut cum euphonia et gravitate in elocutione conveniat, ideoque puritas sermonis quodammodo ratione characteris temperatur. Videndus est super hoc argumento LVDOV. STREBAEVS in *libro de delectu verborum*, qui solet iungi IOVITAE BRIXIANI *libro de numero oratorio*.

(c) *A Graecis)* Legatur hic Rhetorum antiquorum princeps, ARISTOTELES *de arte Rhetorica Lib. III. cap. II. p. 193. 194.* ed. *Schraderi. L. III. cap. III. p. 199.* et alias.

§. XXI.

Vehementer et illi errant, qui puritatis obſervationem ex uno tantum auctore aeſtimant, atque ideo illi, qui nihil niſi Ciceroniana pro genuinis habent, non audiendi ſunt. Etſi enim CICERO, ſummus eloquentiae magiſter, eas uſurpavit voces et phraſes, quas ut orator ſummo delectu collegit, tamen et apud ipſum occurrunt talia, quae nemo facile in oratione civili uſurparit, praeſertim iſta, quae ſemel apud eum leguntur et ut *ſingularia* a Grammaticis notantur: quorum integrum librum olim congeſſit STATILIVS MAXIMVS et quorum magna pars hodieque extat in FROBENII *indice Grammatico*, qualia ſunt *inconſiderantia*, *anxitudo*, *ſilva viridicata*, *aſſo ſole*; pro *ſicco*, et multa alia, quae vel ideo fugienda ſunt, quod interdum ſecuri de vera lectione eſſe nequeamus. Multa enim talia iam olim in lectione Ciceroniana occurrerunt, de quibus legendus eſt HENR. STEPHANVS in *Pſeudo-Cicerone* ſuo antea laudatus. Et ſi vel maxime genuina eſſent, tamen ipſa illa vocum raritas quod hoc tempore trahi in ſuſpicionem poſſit, ſufficiat nobis ad auctoritatem earum imminuendam.

§. XXII.

§. XXII.

In puritate vocum dignoſcenda non adeo probo nimium CICERONIS ſtudium. Solent enim illi, qui in unius auctoris, licet optimi, verba iurarunt nonnumquam ſenſu ſuo falli, eaque pro genuinis accipere, quae non ſunt, et quae in perverſos ſenſus a multis ſunt corrupta. Non dicam nunc de antiquis ſcriptoribus, qui in ipſo CICERONE multa deprehenderunt, quae Latinae linguae genio non adeo reſpondeant, de quibus NICOL. SVSIVS in *Lima Ciceroniana Lib. I. c. XIII.* pluribus egit. Saltem hoc nobis notandum eſt, obſervari interdum a nobis, quae omnes obſervationis calculos non mereantur. Quare in omni illa imitatione Ciceroniana magna opus eſt circumſpectione et iudicio, ne prava imitatione quod alias bonum eſt corrumpamus. Habet enim ſuos quosdam limites et fines imitatio, quos egredi non debemus. Interim quae apud CICERONEM occurrunt voces et phraſes ſedulo notandae ſunt, earumque vis et ſignificatio probe animadvertenda. CICERO enim inter veteres ad civilem uſum tantummodo reſpexit, iisque vocibus et phraſibus uſus eſt, quae hoc charactere prae ceteris inſignitae ſunt. Etſi enim ſunt, qui PLAVTVM CICERONI et TEREN-

TIO praeferendum putent, quod nemo proprietatem vocum magis ſpectaverit, et (d) hoc iudicium probet VAVASSOR *libro de ludicra dictione*, eſt tamen haec ſententia cum grano ſalis accipienda. Etſi enim hoc verum ſit, tamen non tam ad voces et phraſes ſingulas, quam ad totam orationis compoſitionem reſpiciendum eſt, quam in CICERONE concinniorem eſſe nemo prudens dubitaverit, quam in PLAVTI comoediis. (e) Apud illum enim ſolus ille vocum ſelectus puritatis argumen-

(d) *Hoc iudicium probet Vavaſſor)* Id vero minime facit VAVASSOR. Qui libro hic laudato *Sect. II. cap. I. p. 174.* diſerte PLAVTVM ſecundum CICERONEM collocat et p. 179. pariter de TERENTIO pronuntiat, eum elegantia loquendi PLAVTVM ſuperare. Solebat ex memoria, quam capaciſſimam nactus erat, ſua in litteras referre MORHOFIVS. Quapropter quod interdum lapſus ſit, nil mirum eſt. Et facile cuivis lectio eorum, quae hic habet, declarabit, ex tempore ea effuſa eſſe.

(e) *Apud illum enim)* Non eſt, cur hic diſputemus. Quod inter CICERONEM et PLAVTVM diſcriminis intereſt, id provenit a diverſo, quod elegerunt, ſcribendi argumento. Si PLAVTVS orationes et libros, CICERO fabulas et comoedias ſcripſiſſet, hic fortaſſis PLAVTINOS modos, ille CICERONIANOS conſe-

gumentum conficit, cuius iudicio ut oratoris magis hic standum est, quam vel Comici, vel Poëtae, vel Grammatici, vel alterius cuiusdam, cuius tantum non est in vocum selectu iudicium, qui unicus est origo omnis eloquentiae, (f) ut QVINTILIANVS recte iudicat. Nam fuere et CICERONIS tempore multae phrases et voces Latinae, quibus alii scriptores et praecipue populus usus est, quae tamen a puritate dictionis Latinae omnino excludendae sunt, quod non uterentur illis, qui isto tempore orationes vel publice habebant, vel quaedam scribebant, quae viris prudentibus et doctis in pretio erant. Quare multa inveniuntur vocabula et phrases apud Afros praecipue scriptores, quae Latinae fuerunt et a plebe Romanisque usurpatae, sed quibus abstinuit CICERO,

consectatus esset. Quis enim est, quem fugiat, argumentis orationem sive materiae formam esse accommodandam?

(f) *Vt Quintilianus)* Iterum aberrat memoria viri summi. Non QVINTILIANI haec sententia est: sed IVL. CAESAR *libro primo de ratione Latine loquendi* sic praecepit, *verborum delectum esse originem eloquentiae*, id quod CICERO nobis scriptum reliquit *Bruto seu de claris orator. c. LXXII. p. 178. T. I. Opp. ed. Gruteri.*

abſtinuerunt omnes illi, qui puritatem in dictione Latina ſequebantur. De Africanis his vocibus et phraſibus videri poteſt (g) DAVMIVS Libro *de cauſſis amiſſar. linguae Latinae radic. c. XXVII. p. 108. 109.*

§. XXIII.

(h) Cum puritas orationis Latinae in imitatione CICERONIS magnam partem conſiſtat: nam in obſervatione illa, quae e CICERONE inſtituitur conſilio noſtro, praecipua pars omnis illius puritatis continetur: negari tamen nequit, primam illam puritatis Latinae labem in mala CICERONIS imitatione deprehendi. Qui enim veras imitandi leges non novit, vocibus et phraſibus non recte utitur, malaque applicatione illa quae per ſe bona ſunt corrumpit. Ideoque videmus, puerilem illam imitationem CICERONIS, quae ſuperiori ſecu-

(g) *Daumius)* Conſulendi etiam ſunt, qui in APVLEIVM et TERTVLLIANVM commentati ſunt, viri eruditi.

(h) *Cum puritas orationis)* Haec, ut in mentem veniebant, ab auctore dictata aut chartae mandata eſſe, non expolita ſtudioſe et limata, nemo eſt, quin ſtatim animadvertat. Legatur interea ad eorum illuſtrationem ANDR. IVLII DORNMEYERI *de vitioſo Ciceronis imitatore* commentatio.

seculo apud nonnullos in usu fuit, BEMBVM, LONGOLIVM, SADOLETVM, plus noxae inferre Latinae linguae, quam commodi. Hinc non omnino improbo declamationes illas nonnullorum, ERASMI, aliorumque, quas adversus Ciceronianos instituerunt, cum illi non tam sensus CICERONIS attenderent, quam verba aucuparentur, quod imitationis numeros omnes non absolvit. Inde factum est, ut non vocibus tantum serviliter inhaererent, sed et coniunctis, contrariis, ceterisque illis, quae in CICERONE deprehendisse sibi visi sunt: unde non raro falsae voces et phrases pro genuinis et legitimis usurpatae sunt. Imitari enim illi se CICERONEM crediderunt, si sententias quasdam et phrases ex illo conglutinarent et verba tantum congererent, cum tamen in illis nulla vis imitationis consistat, sed in rerum sensu, qui tamen commodis verbis effertur. Quare facile fieri potest, ut oratio e meris verbis et phrasibus CICERONIS congesta tota tamen inepta sit, minusque Latina, quaeve a puritate sermonis quam maxime abscedat. Adversus hos CICERONIS imitatores serviles, quique in solis vocibus inhaererent, rem autem ipsam eiusque ideam non caperent, magna acerbitate declamat BVDAEVS in *Commentariis*

riis linguae Graecae p.1012. 1013. 1014. ſ. qui tamen non eſt adeo hac quidem in parte teſtis omni exceptione maior. Ut enim Graecis prae Latinis favet, ita in CICERONEM eiusque imitatores inclementius multa dicit, quae non ſunt omnino probanda. Ipſe enim BVDAEVS, in quo Ciceroniana imitatio conſiſteret, licet vir graece doctiſſimus, minime intellexit; quanquam tamen CICERONEM laudibus ſuis ornat, tribuendo ipſi copiam et affluentiam inexſuperabilem. Nam qui Ciceronianae imitationis anxia affectatione ducuntur, eos quaſi athletas quosdam eloquentiae vocat, qui certa lege lectionis, quaſi pabulo, ſuam facundiam alant, ut olim athletae campeſtres ea, quae *αναγκοφαγία* dicitur, ſuos lacertos alebant et ſaginabant, ex qua lectione nonnulli exſangues tandem evadant et ieiuni. Quare noſtrae aetatis Tullianos ſcriptores veteribus Atticis confert, qui aetate CICERONIS inani quadam ſpecie et fulgore CICERONI obiecto, gloriae eius ſplendorem obſcurabant, et de quibus FABIVS (i) *Libro ultimo* ait: *Omnes illos M. Tullium preſſiſſe, qui*

(i) *Libro ultimo) Lib. XII. cap. X. p. 746. ed. Obrechti.* De *Atticis* ceterum ipſe CICERO *in Bruto* et aliis locis conſuli poteſt.

qui videri Atticorum imitatores cupiebant, cum neque Ciceronis ubertatem, neque Atticorum in dicendo brevitatem et argutias exprimerent.

CAPVT XII.

De Translatis, quae loco propriorum adhibentur.

§. I.

Latinae linguae puritas, ut vidimus, in vocibus et phrasibus proprie usurpatis maximam partem consistit, atque ea de re plenius egimus. (k) Quoniam vero non est tanta cuiuscunque linguae

(k) *Quoniam vero non)* Innumerabilibus omnes linguae translatis abundant; et credo fere, aeque magnum esse translatorum, ac propriorum numerum. Solent nimirum homines res, quas ingenio et ratione comprehendunt, improviso cum illis rebus comparare, quas sensibus cernunt et percipiunt. Inde fit, quod vocabula, quibus eas designant similitudinem plerumque contineant a rebus civilibus aut naturalibus ductam. In doctrina morali et civili id usu venit quotidie: praecepta nimirum et actiones vocibus exponuntur, in quibus comparatio quaedam inest. Non omnes id observant: quod si facerent, ad interpretationem et intelligentiam auctorum tam sacrorum,

guae copia, ut omnia propriis exprimi verbis possint, vicem eorum supplent *translata,* quorum tamen magna est differentia. Sunt enim inter *translata,* quae *necessitatis,* sunt quae *ornatus* caussa adhibentur. De posterioribus nunc non dicemus, quoniam non ad *puram,* sed ad *ornatam* dictionem pertinent. De prioribus vero, utpote quae ad puram dictionem referuntur, nunc commentabimur. Est nimirum quaedam etiam in translatis puritas et quaedam perspicuitatis idea, omnino ab iis translatis distinguenda, quae magnificam, splendidam, poëticam orationem efficiunt. In his enim per se puritas non spectatur, etsi quoque ratione dictionis et argumenti magis minusque pura dici translata possint, etiam in poëtica et panegyrica oratione. Nam et hic pura ab impuris secerni possunt, frigida, tumida, a sublimibus: sunt nempe et his quidam sui gradus. Pura et perspicua est oratio poëtica, licet translationibus sublimibus differat a sermone pedestri. At haec si ultra quam fas est intendantur, legesque metaphorarum excedant in poëmate, impurum aliquid ratione sermonis poëtici ostendunt.

§. II.

rum, quam profanorum, non exiguum sibi compararent subsidium.

§. II.

Ex his, quae diximus, iam consequitur hoc, magnam esse translatorum differentiam, pro ratione dictionis et argumenti, eamque ob caussam non vulgarem esse operam ponendam in translatorum indole et ingenio explorando: siquidem non hoc tantum intuitu, sed etiam latinae linguae aetatum magna inter translata diversitas est, cum aetatis aureae scriptores ita translatis utantur, ut iudicii et sobrietatis regulas non excedant, qua in re tamen multis modis aetatis sequioris scriptores peccant, quippe qui per translata audaciora sermonem Latinum corruperunt. Primus enim corruptionis gradus in linguis est, si quis translatis non bene utatur, aut translata audaciora formet, ut faciunt plerique illi scriptores, qui post CICERONIS tempora scripserunt. Immo vero ipse CICERO et post CICERONEM QVINTILIANVS passim in pravum illum morem declamant, quo translata immoderate adhibentur. Multa de pravo illo translatorum usu NICOL. SVSIVS in *Lima Ciceroniana c. XIV.* scripsit. Nostro aevo illa in translationibus insania tanta est, ut quilibet sibi fingant pro lubitu et tum credant se eleganter dicere, si omnia metaphoris incrustent. Nam ut HORATIVS ait:

Qui

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinos sylvis appingit, fluctibus aprum.

(l) Inde nata illa argutiarum affectatio etiam nostro tempore, apud Italos praecipue, in illis, quas vocant, inscriptionibus, in quibus praeter puerilem aliquam luxuriem Metaphorarum et sententiarum nihil deprehendas. Quam dicendi rationem iam multi Satyrico sale notarunt. Sed ea est hominum semidoctorum et imperitorum perversitas, ut saniora monentes non audiant et in his nugis consenescant.

§. III.

(l) *Inde nata illa)* Ferenda esset in sermone et commercio civili haec malesana consuetudo. At in sacram ea eloquentiam infaustis auspiciis transiit, in qua, ut a nonnullis docetur, non leve id artificium est, res simplices et apertas imaginibus et similitudinibus ornare, aut potius obscurare. Concedunt omnes, simplicia et propria facilius intelligi, ac figurata et impropria. Neque id quisquam dubitat, quin auditorum intersit, oratoris mentem capere. Quid ergo est, obsecro, quod intellectu facilia difficilioribus postponuntur? At scio, quid homines illi spectent. Sua referre ducunt, ut populi applausum et admirationem excitent. Iam multo magis id imperiti admirantur, quod obscurum, quam quod perspicuum. Hinc malum illud.

§. III.

Quare ſedulo cavendum eſt, ne illi, qui eloquentiae tyrociniis imbuuntur, ſibi ipſis temere metaphoras ex ingenio fingant, aut a Poëtis et Comicis uſurpatas in orationem admittant: puritatem enim dictionis corrumpent et toto hinc vitae tempore nihil niſi inconcinna et inepta ſcribent. Qui morbus etiam ingenioſos viros et doctos interdum occupavit, et expreſſe notavit REGIVS *in vita Budei p. 227. edit. Londin.* BVDEVM omnem illam, quam habuit, in ſtylo ſuo affectationem et ſcabritiem non alia ex cauſſa habuiſſe, quam quod metaphoras nimium amarit. Etſi enim ipſe in *Comm. de lingua Graeca p. 1023.* de translationibus ſobria maxime praecepta dedit, in has tamen leges ipſe vehementer peccavit: quam ob cauſſam ERASMO in epiſtola quadam ipſum laudanti ſalſe dicitur non orare, ſed tuba canere.

§. IV.

Haec illa cauſſa eſt, unde tot vitia ſtyli deſcendunt, *frigus*, de quo ARISTOTELES *Rhetoric. Lib. III. cap. III. puerilitas, tumor et ventoſitas*, de quibus vitiis Rhetores pluribus agunt, et inter ceteros NICOL. CAVSINVS in *Eloquentia ſacra et profana* in eleganti illo luſu Oratorio, quo

omnes κακοζήλους Oratores adversus CICERONEM in scenam producit. Similis illi lusus est cuiusdam Galli anonymi, qui *litteras*, ut vocat, *methodicas* populari lingua scripsit, in quibus simili dictione allegorica et metaphorica utitur. Simile ingenium fuit PETRO GRVTERO, scholae Roterodamensis Rectori, qui talibus flosculis metaphoricis epistolas suas exornavit, et ut singularia specimina, si Diis placet, in publicum edidit, belle illusus a BARLAEO, (m) qui ipsi facete simili dictione respondit. Vide, quid adversus eos, qui adagiis et ridiculis metaphoris utuntur, STREBAEVS *Lib. I. de collocatione verborum cap. III. p. 17.* iudicet. Haec, quae apud

(m) *Qui ipsi facete)* Plures ineptam scribendi rationem hominis huius lepido ingenio praediti irriserunt: quibus omnibus peculiari *Apologia* se purgare studuit, quae *Centuriae Epistolarum* eius *Francof. 1615. in 8.* editae adiecta est. Praeter frigidas translationes brevioribus utitur verborum comprehensionibus et ubivis vocabula consectatur antiqua et ab usu remota. LIPSIVM imitari studuit, cuius vitia apte satis expressit, non virtutes, quod ingenio multum esset inferior. BARLAEI qua perstringitur, epistola LXXI. est, inter *epistolas BARLAEI.* Vid. et de eo BAYLIVS *Dictionaire Tom. II. p. 1327.*

apud illos a nobis memoratos auctores habentur, adeo sunt ridicula, ut statim se omnibus, qui non obesae naris sunt, ostendant. In hoc censu illa etiam collocanda sunt, quando ridiculis et sordidis metaphoris quae maxime seria sunt efferuntur, quod genus nostro tempore nonnulli apud Italos instituerunt. Imitati sunt (n) Galli illo dictionis genere, quod *burlesque* ab illis vocatur, cuius auctorem CVPERVS in *observationibus* suis RINTHONEM inter veteres facit: nostro vero aevo Itali primi auctores volunt videri, quam illis gloriam nemo invidebit. Fuere inter Gallos, quibus hoc dicendi genus placuit, quos Satyrico sale merito perfricuit FRANC. VAVASSOR in elegantissimo *libro de ludicra dictione* quo stultitiam hanc in popularibus suis in primis reprehendit.

§. V.

Nemo non videt has esse nugas et in seria oratione locum non invenire, ideoque tam ineptas elegantias omnes esse eli-

(n) *Galli illo dictionis genere) Ludicrae dictionis Historiam* pollicitus est Vir clarissimus, IO. ERHARD. KAPPIVS. Quae dum prodeat, *Apparatus*, quem idem vir eruditus *ad hanc Historiam* congessit et novae libri VAVASSORIS editioni praemisit, utiliter evolvetur et perlustrabitur.

minandas, quae orationem quasi sordibus quibusdam inficiunt. Exulare ergo ex oratione civili et pura debent omnes tales metaphorae sordidae, comicae, poëticae, ad ridendum compositae, illae vero adhibendae, quae orationem ornant et illustrant: et in illis ea distinctio observanda, ut ea, quae poëtica censentur et a vulgari sermone abhorrentia, in civili oratione non admittantur. De hac translationum sobrietate et recto iudicio plenius agit idem ille VAVASSOR in elegantissimo *libro de epigrammate*. Ipse quoque CICERO et ARISTOTELES *libro de poëtica* (o) summi iudicii rem habuit scienter uti translationibus, atque adeo praeclari ingenii signum aestimavit.

§. VI.

E dictis patet, magnam esse rationem habendam verborum Comicorum. (p) Solent enim apud Comicos translationes esse ex

(o) *Summi iudicii rem)* Neque id immerito. Quaelibet enim translatio comparationem continet. At scite res cum rebus comparare nemo potest, nisi is, qui intelligit, quanam in re conveniant inter se res, quanam differant. Quod qui novit, is magna et accurata rerum cognitione sit instructus, necesse est.

(p) *Solent enim apud Comicos)* Idque nemo eis vitio dare potest. Homines enim loquentes indu-

ex ingenio et occasione rerum confictae, quarum usus in seria et civili oratione omnino dissuadendus est. Et in Comicis ipsis magna differentia est. Nam apud PLAVTVM multa sunt translata audacia, ridicula, et risus captandi gratia inventa, quae apud TERENTIVM sobria magis sunt et locum in oratione civili et pura prae Plautinis illis inveniunt. Notum est HORATII iudicium in *Libro de arte poëtica* de salibus et facetiis Plautinis, qui omnino hac quidem in re audiendus est, ut optimus verborum et dictionis aetatis suae iudex, quicquid etiam LIPSIO et DAN. HEINSIO videatur, qui PLAVTI defensionem adversus HORATIVM susceperunt. Legi etiam super hac re potest EDMVND. RICHERIVS in *Obstetrice animorum*, ubi differentiam illam Plautini et Terentiani sermonis evidenter ob oculos ponit et Terentianum Plautino multis modis praefert. Idem iudicium est IO. STVRMII in *libro de linguae Latinae resolvendae ratione cap. IX.*

N 3 ubi

inducunt vilissimos et ex ima vulgi fece, mancipia, lenones, meretrices, alios item libidinibus agitatos et corruptos: quorum quidem sermones non ratione aut iudicio, sed phantasia regi solent, ideoque inficetis abundant translationibus.

ubi hanc fecit Plautinorum diſtinctionem, quod quaedam Plautina ſint, quae perpetuo poſſint uſurpari, quaedam quae raro, quaedam etiam quae inſolenter, id eſt, cum quadam licentia. (y) PLAVTVM ergo loquaciorem facit, quam TERENTIVM, qui artificioſior eſt, ſed Latinam et puram eſſe loquacitatem in Plauto ait; quare Latina PLAVTI dictione uti nos poſſe arbitratur, ſed ſi illis loquendi modis abſtineamus, quos ſervis, paraſitis, herilibus filiis, lenonibus, meretriculis affinxit. Vide etiam elegantiſſimam comparationem inter PLAVTVM et TERENTIVM inſtitutam a ROLANDO MARESIO *Epiſtol. Lib. II. 6. 7.*

§. VII.

(q) *Plautum ergo)* Ita virorum doctorum iudicia de dictione et ſtylo optimorum auctorum diſcrepare ſolent. Quem hic unice cenſet imitandum, eum alius vix dignum iudicat, qui legatur. Id qui magnopere miratur, eum hominum oportet naturam et indolem ignorare. Dictio ingenium plerumque ſcriptoris refert et animum adumbrat. Hinc quibus aut idem, aut non diſſimile obtigit ingenium, in amplexus eius ruunt: qui aliter, ac ille, natura facti ſunt, ab oratione eius abhorrent. Hoc fundamentum eſt tantae iudiciorum de auctorum dictione varietatis. Sed haec huius loci non ſunt.

§. VII.

Multum ſcilicet intereſt, quibus translatis et quo modo utamur. Itaque cum CICERONEM in illis ſemper modeſtum eſſe deprehendamus, hunc prae ceteris imitandum nobis proponemus, et ita quidem imitabimur, ut oratoria illa et quae cum vehementia animi coniuncta ſunt non ubivis, ſed loco commodo adhibeamus, ea vero, quae communia ſunt et ſermoni quoque vulgari propria ubivis adhibeamus. Illa enim pari ratione cum propriis cenſentur. Sed in illis vehementibus translatis modus eſt adhibendus, ne ultra decorum extendantur aut in poëticam audaciam et κατα χρήσεις abeant. Exemplum eſto initium *Orationis ſecundae Catilinariae*, quod vehementibus et illuſtribus translatis plenum eſt, atque ita ſeſe habet: *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriae nefarie molientem, vobisque atque huic urbi ferrum flammamque minitantem ex urbe vel eiecimus, vel emiſimus, vel ipſum urbe egredientem proſecuti ſumus: abiit, exceſſit, euaſit, erupit: Nulla iam pernicies a monſtro illo atque prodigio moenibus ipſis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum huius belli domeſtici ducem ſine controverſia vicimus. Non*

enim inter latera nostra iam illa sica versabitur, non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Metaphorae hic sunt omnino modestae, etsi emphaticae, et ad rei gravitatem accommodatae, quibus si quis alia substituerit, totam orationem languidam reddet. Quare EMMAN. THESAVRVS in Libro Italica lingua scripto *de arguta et ingeniosa elocutione cap. VII. p. 283.* ostendit, ineptam fore hanc orationem, si his similibusque translatis illa varietur: *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam liquescentem petulantia, ad flagitiorum culmen anhelo conatu eluctantem. Phineam luem patriae harpygialiter architectantem, vobis atque huic urbium reginae Martem Vulcanumque barbarice minantem ex urbis sinu vel evomuimus, vel explosimus, vel ipsum foras proserpentem venabulis impetivimus: erupit, avolavit, effluxit, in nihilum evanuit. Nulla iam carnificina ab Lernaea illa excetra et larvali portento moenibus ipsis intra moenia procurabitur. Atque hanc quidem unam huius intestini carcinomatis radicem sine ferro averruncavimus. Non enim iam inter medullas nostras machaera illa grassabitur non in suburbano diverticulo, non in forensi theatro, non in consiliorum sacrario, non denique intra domesti-*

mesti-

mesticos lares focosque contremiscemus. Conferat quis haec cum Tullianis et videbit, quam sint inepta: Sunt hic quaedam vel ex PLAVTO desumta, vel lascivius conficta, qualia non decent orationem sobriam et gravem, ac praeterea τύπον illum ac emphasin orationis, quae hic singularis esse debebat corrumpunt.

§. VIII.

Ex his, quae diximus, constare unicuique potest, omnem illam metaphorarum rationem non esse nobis ex ingenio fingendam, (r) sed ad placitum et iudicium auctorum classicorum exigendam. Et esset sane optandum, si quis hac in parte

(r) *Sed ad placitum*) Aut potius ad sanae rationis et iudicii normam, quam auctores illi secuti sunt. Mihi quidem nullum est dubium, quin haec omnis de translatis doctrina ad certas vocari possit regulas, rationis principiis innixas. Vt in omnibus vero scientiis praecepta exemplis mirifice illustrantur et roborantur: ita nihilominus laude dignus foret, qui ex classicis, qui vocantur, scriptoribus exempla colligeret. Mihi quidem, id quod saepius professus sum, omnis eloquentiae institutio parum iuventuti salutaris videtur, nisi leges eius ex illis deriventur principiis, quae hominum rerumque prudens parit consideratio.

te labore quodam nos levaret. Nemo enim in hunc diem extitit, qui metaphorarum collectionem ex classicis auctoribus instituerit. Habuit id in animo quondam PETR. MOSELLANVS, IOAC. CAMERARII praeceptor et Professor Lipsiensis, de quo MELCH. ADAMI *in eius vita* testatur, quod fuerit metaphorarum observantissimus, earumque e CICERONE aliisque scriptoribus optimis magnum acervum collegerit, instar *Adagiorum* ERASMI, quod opus editurus fuisset, si aliquot annos superstes fuisset. Sed nemo post illa tempora huius curae meminit, aut similem laborem suscepit, utilissimum profecto futurum, si ab eleganti ingenio susciperetur. Verum, ut recte iudicat BOECLERVS, *Diss. de comparanda Latin. linguae facult. cap. II. §. IV.*, magnus ille labor foret, peculiari ista omnia libro observare, neque facile praestabit aliquis tale opus, in quo omnes vocum significationes propriae et translatae ex auctoribus notentur. Non tamen probarim omnino eius sententiam, cum existimat, impossibile esse, ut tale aliquod Lexicon fiat, eoque nos uti possimus, cum non satis plene et liquide intelligantur aestimenturque illa, quae a corpore suo sunt avul-

sa,

ſa, quod ipſe contextus, orationisque tenor quam optime ſua verba interpretetur, quae non ſtatim aſſequatur huius vel illius diligentia: idque eo in loco plurimis exemplis confirmat, quae ex NEPOTE et CVRTIO depromſit. Fatendum ſane eſt, multas occurrere phraſes, ut proprias, ita translatas, quas rei neceſſitas auctoribus extrudit: quas ſi alio loco, aliaque ratione uſurpes, frigidas aliquis dicat et inepte poſitas. Translationum illa praeterea ratio eſt, ut ex ingenio rerum et occaſione iudicari debeant, ineptae futurae, ſi extra hanc occaſionem uſurpentur, ut multis probat BVCHNERVS *de commutata ratione dicendi cap. II.* Sed viri tamen prudentis et eloquentis eſt, talia diſcernere, et qui tale opus ſuſciperet, ſingulorum translatorum accuratam inſtituere obſervationem deberet. Quod enim in verbis propriis fieri debet, idem quoque in translatis et eo quidem magis teneatur neceſſe eſt, cum propriae voces ſimplici uſu conſtent, translatae vero e variis dictionis figuris aeſtimari debeant. Quod ipſi ſcilicet dictioni accidit, ut ſit vel mollis, vel aſpera vel vehemens, idem etiam translatis evenit, cum dictionis character maximam partem a translatis temperetur.

retur. Quare si (s) MAFFEIVS, id quod ERYTHRAEVS notavit *Pinacothec. II. Imag. XIV.*, omnia Latina verba collegit ac pro ratione temporum, quibus inventa vel usu recepta essent, distribuit, tum quae verba Historicis, quae Poëtis, quae Oratoribus aptiora essent, notavit, multo magis hoc in translatis faciendum est. Trahunt quidem ea vim suam ex ingenio et conceptu auctorum: ex similitudine enim et analogia oriuntur; attamen decorum illud translationum (t) non tam ex ingenio, quam ex usu auctorum definiendum est,

(s) *Maffeius)* PETRVM MAFFEIVM intelligit, Iesuitam, qui in *Historia rerum per Lusitanos in India gestarum* conscribenda duodecim consumsit annos, et incredibili diligentia, ne quid in ea minus Latinum sibi excideret, cavit. vid. SCIOPPIVS *de stylo histor. p. 70. 71.*

(t) *Non tam ex ingenio)* Mihi secus videtur. Nam si auctorum usu omnis translationum elegantia esset metienda, sequeretur, nulla nisi bona et laudabilia translata apud eos occurrere. Quod nullus tamen praeter eos, qui prorsus in his litteris hospites sunt, affirmaverit. Certe CICERO, SENECA, TACITVS et multi alii metaphoris utuntur, quas nemo prudens facile sibi vindicet. Inde vero minime id efficitur, quod vir magnus hic existimare videtur, ingenio frena esse laxanda in metaphorarum aestimatione. Est enim aliquod

est, quorum hic iudicio standum, ne frigida et inepta evadat oratio. Si enim ingenio et phantasiae frena mittimus, mirifica interdum translata fingere possumus, quae vel ridicula, vel minus sobria, vel certe audacia prudentibus videantur, neque locum in oratione civili inveniant, excusanda quodammodo, si in carmine aut comoedia adhibeantur: quanquam et in his moderationi et iudicio locus est. Nam et hic poëtarum classicorum auctoritas primo loco habenda est, licet ingenio nonnumquam indulgere possimus. Est quoque in his ipsis magna differentia inter vulgaria Poëtica et inter Satyrica, Lyrica et Comica translata. Plus nempe licet Satyrae, Lyrico carmini, dithyrambo et Comoediae, quam modesto carmini vel elegiae. In his ergo omnibus circumspectus esse debet tum orator, tum poëta. In quibus si imprudenter versetur, tantum abest, ut purus ille dici queat in oratione tam

quod inter veterum auctoritatem et ingenium medium, ingenium nempe ratione temperatum et instructum. Hoc norma illa et regula est, ad quam exigere oportet translata, quibus dictionem ornare volumus. Concedit id ipse MORHOFIVS paullo post tacite, quando metaphorarum usum ex subiectis, quibus applicantur, aestimandum esse praecipit.

tam soluta, quam ligata, ut potius vel lutulentus sit, vel frigidus, vel tumidus, vel quacumque ratione insolens et ineptus.

§. IX.

Observationes igitur e classicis auctoribus, e CICERONE in primis, diligenter sunt instituendae: ille enim, ut orator, translata splendidissima et maxime propria in usum civilem selegit. Qui post eius tempora scripserunt ut in ipso proprio vocum usu, ita in translationum recta et sana applicatione vehementer lapsi sunt. In SENECA multas sordidas voces notavit ERASMVS, ut ex eo BVCHNERVS observavit *de commut. ratione dicendi c. XV. §. III. p. 247.* Ita in ceteris quoque scriptoribus magnus translatorum abusus est sequioribus istis temporibus, adeo ut ex iis de lingua Latina corrupta iudicium ferri possit. (u) Prima enim linguae corruptela in translatis est, et recte iudicavit PERRONIVS in istis *Excerptis*, quae fratres PVTEA-

(u) *Prima enim linguae)* Non tam lingua inficetis depravatur translatis, quam eloquentia. Conferri hic omnes poterunt, qui de oratione simplici praecepta dederunt, BERGERVS inprimis, summus verae eloquentiae vindex, *Libro de naturali pulchritudine Orationis. Witteb. 1720. in 4.*

PVTEANI collegerunt, linguam a summa illa perfectione paulatim corrumpi, ut fruges, quae ad maturitatem pervenerunt, verminatione quadam corrumpi solent. Illa corruptio consistit in metaphoris, frigidis, ineptis, audacibus, quas post CICERONIS tempora in SENECA, PLINIO, TACITO, ceterisque, qui illos excipiunt, scriptoribus observare possumus. Nam quo remotiores ab aurea aetate scriptores sunt, eo magis in metaphoris fingendis audaces et inepti.

§. X.

Quoniam vero in his metaphoris observandis magna diligentia requiritur, neque cuivis statim patet, quomodo illae dignoscendae sint, ex auctoribus, quos habemus, phraseologicis seorsim notanda et seligenda sunt translata, quae civilis usus sunt, et quae praecipue locum in oratione pura et eleganti habent. Nam quum non adsint, qui ex instituto hoc argumentum tractarint, ex iis, qui ad manus sunt, usitatiora translata, quibus in quacumque oratione uti possimus, notemus necesse est. Habemus quidem phraseologiam Latinam in ROB. STEPHANI *thesauro* sic satis accurate traditam, sed omnia tamen ibi confusa et commista sunt. DOLETVS in *Commentariis Latinae linguae* commodius omnia

omnia diſtinguere voluit, non ſolum ratione ſignificationis, ſed etiam ratione translationum: translata enim a propriis ſeiunxit: verum non iſta ακριβεια et diligentia rem egit, quam accuratiores requirerent. Nos, ut noſtro conſulamus uſui, ſi translata illa peculiari ordinare libro nequeamus, ſaltem in libellis phraſeologicis ea lineolis varii coloris diſtinguamus, ut in oculos ſtatim incurrant *translata ſublimiora*, quibus uti ad orationem exaltandam poſſimus, et *communia*, quorum frequentior uſus eſt. Ita *ex. gr.* in SCHöNSLEDERI *Apparatu* Eloquentiae *translata communia*, quae propriis aequiparari poſſunt, lineola viridis coloris ſubducamus licet, *ſublimiora*, quae ad ſenſus exaggerandos valent, rubri coloris lineolis diſtinguamus, ut ita ſtatim primo intuitu pateat, quas voces ſeligere ad ornandam, quas ad exaltandam orationem queamus. Sub voce, ut exemplum afferam, *Abire* vel *migrare* multa reperiuntur Metaphorica, ut: *non transverſum digitum diſcedere, talaria videre*, id eſt, *quaerere alas pedibus*, ut Mercurius, fugiendi cauſſa, *avolare*. Sub voce *Occultus* haec habentur metaphorica: *Habere clauſa ſua conſilia, vela obtendere, tanquam cochleam ſe abſcondere, fallere et latere*. Sub voce *Accipere* haec reperiuntur:

Exte-

Exterebrare aliquid, ex auro detersimus octoginta sestertia, id est, *ex illa summa detraximus*. Sub voce: *Acquirere* haec extant: *aliquid nummulorum exprimere, videt nihil se ab eo abradere, aliquid ab aliquo expugnare*. Haec et similia metaphorica sunt et certa ratione adhiberi possunt, consideratis tamen circumstantiis, quae in sermone ipso exprimuntur. Nam ab illis temperantur metaphorae, suamque quasi indolem accipiunt. In his ergo prudentem et circumspectum esse oportet. *Abradere ab aliquo nummos* vel pecuniam tum demum usurpabitur, si de avaro aliquo homine sermo nobis sit. *Detergere aliquid nummorum*, tum conveniet, cum calliditate nostra et artibus aliquid lucramur. *Extorquere aliquid ab aliquo* dicemus, cum de homine aliquo avaro aut moroso tricone et malo nomine loquimur. Ita translatorum usus ex subiectis, quibus applicantur, aestimandus est. Promiscue nimirum ea qui usurpare vellet, eius impura foret et insipiens oratio.

§. XI.

Inter eos, qui argutae dictionis praecepta tradidere, non desunt, qui certos fontes ostendant, ex quibus varia translata sumi possint. Fecit id EMMAN. THESAV-

RVS in (x) Libro Italice ſcripto *de ingenioſa et arguta elocutione* p. 142. 143. ſ. MASENIVS *in arte argutiarum* et alii. Haec contemnenda plane non ſunt. Eſt enim in natura rerum, earumque analogiſmo fundata ea ſimilitudo, qua conceptus metaphoricos rebus imponimus. Et omnia illa translata, quae apud bonos extant auctores, ad haec praecepta et ad hos fontes reduci queunt. Uſum idcirco ſingularem haec praecepta habent in meditationibus de rebus formandis, in argutiis, epigrammatis, ſimilibusque occaſionibus. At in elocutione, ubi metaphoris dictio diſtinguenda eſt, ad hos fontes recurrere (y) anxium eſſet et longius petitum.

(x) *Libro Italice ſcripto)* Is etiam Latine verſus proſtat a doctiſſimo Viro, CASP. CöRBERO, Eloquentiae in hac Academia quondam Profeſſore, hoc indice inſignitus: *Idea argutae et ingenioſae dictionis, ex principiis Ariſtotelicis ſic erutae, ut in univerſum arti oratoriae et inprimis lapidariae atque ſymbolicae inſerviat Francof. 1698. in 4.*

(y) *Anxium eſſet)* Aeque vero, ſi quid video, anxium et moleſtum foret, ſemper ad libellos phraſium confugere et exquirere, quibus translatis et quomodo veteres uſi fuerint. Ingenium ergo ratione et iudicio rectum, memoriaque ſuffultum optimus hac quidem in re magiſter erit.

tum. Namque hic potius ad uſum et conſuetudinem auctorum, quam ad artis aliquam ſubtilitatem reſpiciendum eſt, quae extra dictionem, uti diximus, magno ſubſidio eſſe poteſt. Hinc indices illi categorici THESAVRI, qui quodammodo cum titulis Lullianis conveniunt, hic extra ſcopum noſtrum ſunt, ubi ingenio et fictioni noſtrae parum relinquitur et ad uſum omnia referuntur. Nam ut in vitio poſitum eſt, phraſes pro lubitu fingere, ita nec ex arbitrio translata comminiſci licet. Et ſunt inter auctores recentiores, elegantes alioquin, qui eam ob cauſſam a prudentioribus reprehenduntur, ut BARCLAIVS et alii, qui, quoniam floridum aliquod dicendi genus ſectantur, in hos plerumque ſcopulos impingunt.

§. XII.

Quamobrem ut in omni dictione CICERONIS imitatio omne punctum fert, ita quoque hic diligenter notari velim translata, quibus ille utitur. Solus enim eam ſermoni Latino diligentiam impendit, atque ita in omni dictionis genere excoluit, ut in exemplum merito ponatur, quidquid etiam ineptulis nonnullis Atticiſmi ſectatoribus videatur, qui ipſo etiam CICERONIS tempore diverſum quid ab eo ſentiebant, quorum e numero ipſe BRVTVS

erat. Eos ita retudit CICERO, ut ſatis pateat, quo illi numero haberi debeant. Nam ad POMPONIVM de BRVTI quadam oratione candide iudicium tulit, et in *libro de claris oratoribus*, nec non *de optimo genere oratorum* graviter Atticos ſui temporis exagitavit, oſtenditque, ignorare illos, quid vere eſſet Atticum, ipſorumque dictionem ab omni Atticiſmo alienam eſſe. Plenius id argumentum perſecutus eſt FRANC. VAVASSOR in erudita *Orationum* ſuarum *praefatione*, ubi omnis imitationis Ciceronianae rationem oſtendit. Quod ſi homines ſunt, qui ſuas ineptias, ſtultiſſimasque argutias his ſimilibusque antiquis Atticiſmi defenſoribus ſimile quid habere exiſtimant, illi profecto plane nihil in eloquentia intelligunt. Fuerunt noſtro tempore, qui multas in eloquentia turbas moverunt, de quibus paſſim extant doctorum virorum querelae et (z) nos alio loco plenius dicemus. Legi poteſt interea VAVASSORIS *Oratio tertia pro antiquo genere dicendi contra novum*, qua fuſe exagitat illos argutiarum affectatores. Nec indignus, qui evolvatur ERYTHRAEVS in *Epiſtol. Lib. III. ep. 14.*

(z) *Nos alio loco)* Fecit id magnam partem *Polyhiſtoris Tom. I. Libro VI.* qui *Oratorius* inſcribitur.

ep. 14. ubi perſpicuitatem CICERONIS adverſus illos nugatores defendit. Videatur idem in *Epiſt. II. Lib. V.* ad LEONI. ALLATIVM. Conſulatur etiam ALBERTI de ALBERTIS liber, quo *actio adverſus eloquentiae corruptores* inſtituitur. Fuerunt qui in BALZACI, Galli doctiſſimi, ſcriptis ſimilem aliquam translatorum pruriginem reprehenderunt, ſuntque de hoc argumento ſcripti (a) libelli quidam Satyrici, qui eius dicendi rationem allegoricam praecipue in Gallico ſermone inſectantur. Quod uti forte aliqua ex parte verum eſt, ita in latinis eius Operibus non invenio, quod acerbiorem cenſuram mereatur. In eius epiſtolis et poëmatibus Latinis nitida pleraque ſunt et elegantia, nec a veteri dicendi ratione abhorrent, niſi quod illa, quae Gallis familiaris eſt, Περισσολογία et formularum luxuries nonnumquam appareat. Quod tantum abeſt, ut reprehendam, ut laudandum eo nomine exiſtimem. Cum enim Latinitas ſelecta ſit et pura maxime propriaque, venuſtas illa et ſermonis urbanitas non dedecori ipſi, ſed ornamento eſt.

(a) *Libelli quidam Satyrici)* vid. BAYLE Dictionaire T. I. p. 430. 431.

Caput XIII.

De particulis, earumque accurata obſervatione inſtituenda.

§. I.

POſtquam de vocibus et phraſibus egimus, ad particulas, earumque in oratione uſum deſcendimus. Licet enim voces et phraſes recte adhibeantur, inepta tamen erit, obſcura, et confuſa oratio, niſi particulis locus ſuus tribuatur, eaeque ita in oratione collocentur, ut illa concinna et numeroſa evadat. Plus in particulis latet accuratae obſervationis, quam in ceteris orationis partibus. Ideoque ſi illae minus apte uſurpentur, ſi vocibus ſuis non recte iungantur, ſi periodum male expleant, non melior erit oratio, quam ſi nervi in corpore non recte ſint compoſiti. Idem nempe, quod nervi, officium praeſtant particulae: his quaſi vinculis ſermo colligatur: nec certius luxatae orationis indicium, quam ſi illae ſuo loco, eoque uſu non appareant, quo a priſcis adhibitae ſunt. Hic ergo non levis induſtria ponenda, et obſervandum, quis earum apud veteres uſus fuerit. Cum illae ſigna et τεκμήρια ſint collectionum et illationum ex enthymematibus et rationibus inſtitutarum, nihil magis,

gis, quam perverſus earum uſus, ad pervertendos et confundendos ſenſus facit; nec quidquam ordini, lectori et auditori neceſſario, magis officit, quam vinculorum *ἀταξία*. Huius rei non ignarus TERENTII Davus *in Andria* herum ludit: cui quaerenti, quid narraret, reſpondet: *Aeque quidquam nunc quidem*. In ſimili caſu Syrus: *ita res eſt*, inquit, *haec nunc quaſi curo*. Studio enim et data opera ſententiam ſuam tectam cupiebant. Hunc ego itaque peritiſſimum omnis Latini ſermonis artificem habebo, qui recte particulis uti noverit.

§. II.

Particulae non ſunt unius generis: ſunt enim vel *praepoſitiones*, vel *coniunctiones*, vel *adverbia*. In his *coniunctiones* vel ipſa vi verbi praecipuam ſyntaxeos rationem in tota lingua Latina obtinent: his enim quaſi vinculis conſtringitur oratio. Ideoque diligenter notandum quando, quomodo, qua ratione adhibendae ſint, quomodo in periodis iungendis, quomodo in periodis tam in protaſi, quam in apodoſi aptandis. Tanta eſt haec et tam multiplex obſervatio, ut in hunc diem non inventus fuerit, qui ad certas regulas eam doctrinam reduxerit. *Adverbia*, quae verbis iungi ſolent, unde etiam nomen invenerunt, mirificum conciliant orationi decorem, gravi-

tatem et suavitatem: in quibus observandis magna certe est hominum curiosorum industria. HVBERTVS SVSANNAEVS *libro de connubio adverbiorum Ciceronianorum* magna cura congessit adverbia illa, quae verbis iunguntur: cuius viri laudanda est hac in re industria. Sed multo latius patet adverbiorum usus. Nam non solum verbis iunguntur, sed et nominibus adiectivis et aliis interdum particulis, verbis quoque ratione temporum et modorum distinctis, quae singula curatius observari debent. Omnes hic de particulis scriptores misere hallucinantur: confundunt enim omnia, neque rationes et modos eius usus in particulis observant, quod faciendum esse ipsa ratio dictitat. Magna nimirum varietas usus est in particulis, si nominibus vel substantivis, vel adiectivis vel verbis, ratione temporis praesentis, praeteriti et futuri; vel participiis adiungantur: de quibus differentiis maximopere discernendis nemo eorum scriptorum, qui de particulis egerunt, cogitavit. (b) Omnis ergo hic labor maiorem curam

(b) *Omnis ergo hic labor)* De utilitate laboris huius nullum apud me dubium residet. Id vero dubito, an omnibus, qui Latine volunt scribere, tam accurata usus particularum cogni-

ram et diligentiam viri ingenioſi et laborioſi expectat.

§. III.

Auctores *de particulis linguae Latinae* varii ſunt, nec pari omnes induſtria rem illam tractarunt. Particularum Latinarum uſus aliqua ex parte etiam e Graecae linguae uſu dependet. Quare etiam hic illi non praetereundi ſunt, qui Graecarum particularum uſum in oratione nos docuerunt; inter quos nemo eſt, qui laudari a nobis poſſit, praeter (c) MATTH. DEVARIVM, qui *de Graecae linguae particu-*

gnitio neceſſaria ſit. Facile concedo, omnibus caſti ſermonis ſtudioſis, ne perverſe intelligantur ab aliis, providendum eſſe, ne novo et peregrino ſenſu particulas adhibeant. At multi caſte, ſcite et eleganter ſcripſerunt, in quibus tam ampla harum rerum notitia non fuit, ut quid quaelibet ſingularis apud veteres conſtructio ſibi velit, non ignorarent. Multi praeterea ſunt antiquorum loquendi modi, qui obſoleti hodie ſunt et prope relicti. Critici igitur, quorum eſt antiquos auctores interpretari, maximam omnium ex eiusmodi opere utilitatem haurient. Horum namque eſt ſcire, quid ponderis habeat unaquaeque auctoris, quem explicandum ſumſerunt, loquutio. Reliquis mediocris ſufficiet cognitio.

(c) *Matth. Devarium)* Ad exemplum Romanum

lis librum doctissimum scripsit, *Romae* primum editum, et *Londini* postea *1657.* recusum. Inter Latinos, quod diximus, nemo hactenus plene hanc doctrinam tractavit. Lexicographi ieiuni sunt hic et de observationibus singularibus parum solliciti. Plerique illorum de charta in papyrum scribunt et quod apud ROB. STEPHANVM non invenerunt, posterioribus curis haud adiiciunt. Nihil ergo ab illis magnopere hac in parte sperandum. Fuerunt qui singularibus libris hoc argumentum sibi exhauriendum sumserunt, verum nec illi omnia, quae hic observari debebant, adduxere, generalioribus animadversionibus contenti. Scripsit de illis HADRIANVS, Cardinalis, cuius viri magna fuit in observatione Latinae linguae industria, STEWECHIVS, et

num iterum editus est hic liber, cura Clar. ESCHENBACHII *Norib. 1700. 8.* Sed lege de eo sequens IAC. ELSNERI, egregii viri et Graece doctissimi, iudicium in *Praef. ad Observ. sacr. p. 4.* latum: *Quod Devarius*, inquit, *de particulis ex Budei fere commentariis conscripsit, multis modis imperfectum et obscurum est atque erroribus non paucis sane laborat.* Magno sibi beneficio sacrarum etiam litterarum interpretes devinciet, qui perfectius in hoc genere opus elaboraverit.

et qui pleraque more ſuo ex aliis tranſcripſit PAREVS, tum et DüRRERVS, et poſtremo (d) TVRSELLINVS, qui cum annotationibus IAC. THOMASII et paral-

(d) *Turſellinus)* GISB. VOETIVS *Bibl. ſtudioſi Theol. Lib. II. cap. II. p. 280.* ſuſpicatur, TVRSELLINVM opus STEWECHII *de particulis*, quod *Colon. 1580. in 8.* prodiit, compilaſſe. Novam TVRSELLINI et longe locupletiorem editionem dedit vir clariſſimus. IO. CONR. SCHWARTZIVS *Lipſiae 1709. in 8.* eamdemque emendatiorem. *Ib. 1719. in 8.* Eam autem vir Latinorum hodie facile princeps et elegantiſſimus, IACOB. FACCIOLATVS, innumerabilibus refertam eſſe naevis et maculis, oſtendere et alias voluit et *epiſtola*, ſub CHRISTOPH. MEYERI nomine edita, hoc anno *Eleutheropili in 8.* In qua quidem errores tantum perſtringit, quos in prima ſibi littera deprehendiſſe viſus eſt. Et is ipſe FACCIOLATVS pulcram et elegantem TVRSELLINI editionem, ſuis obſervationibus auctam *Patavii* curavit. Nusquam eſt facilior quam in hiſce rebus lapſus. Quod, ne temere ad regulas ferendas, aut ad accuſationes aliorum provolent, viros egregios commovet. Addi poſſent his de particulis ſcriptoribus quidam alii, ut GEORG. DIETER. BOHMII *de particulis linguae Latin. et German. commentarius*, quem celeberrimus HEVMANNVS praefatione ſua ornavit. Sed relinquam aliis hanc curam, ad quos propius ea pertinet.

rallelismo linguae Germanicae aliquoties editus est et usui tironum quam maxime accommodatus esse videtur. Sed nemo illorum est, de quo dicere possis, plene esse ab illo hanc doctrinam traditam. Nam, ut fieri solet, posteriores priorum diligentia fruuntur et in suos usus quidquid illi observarunt transferunt, parum solliciti de prioribus illis terminis ampliandis. Utinam! quem de hoc argumento in *Praefat. phrasium* promisit librum, ANTON. SCHORVS edidisset, haberemus fortassis, quo solari nostram penuriam possemus. Neque enim accuratiorem observatorem res illa desideraret. Verum illa spes evanuit. Grammatici, ad quos proprie haec cura pertinet, misere nos destituunt, generalioribusque tantum intenti sunt. VOSSIVS in his quidem recensendis satis operosus est, sed nihil apud eum invenies, quod non ab aliis iam notatum sit. FRANC. SANCTIVS in *Minerva* sua, libro docto et eleganti, multa quidem utilia monet, sed paucula illa sunt et totum hoc argumentum non exhauriunt. Observavit ille multa de pleonasmis particularum, ut cum particulae geminantur: *etsi quamvis*, CICERO *Epp. ad Attic. Lib. II. ep. VII.*, *quamvis licet, ergo igitur, post deinde, deinde postea, mox deinde, post tum, tandem*

dem denique, tandem itaque, quoque etiam, quia enim, quia certe, quippe quia, quia nam, nam cur, extemplo simul, en ecce, olim quondam: Verum de specialibus applicationibus particularum ad tempora, nomina, verba et particulas altum hic silentium: unde tamen verus particularum sensus investigari debebat.

§. IV.

Particularum instituenda est diligens observatio ratione *significationis,* ratione *positus,* ratione denique omnium illarum circumstantiarum, quae particulis innectuntur. Coniunctiones prae ceteris, quoniam membra non orationis tantum, sed etiam periodos, earumque membra inter se connectunt, attendendae sunt. Particulae etiam ἀποδοτικαὶ, illativae et similes ad periodorum nexum maxime faciunt: hinc et in his observandis magna poni debet industria. Exemplum eius rei insigne dedit IO. STVRMIVS *Libro de Latinae linguae resolvendae ratione* in usu particularum *Cum* et *Tum*, quae periodorum membra inter se connectunt; et multis ille exemplis adductis *Cap. XII.* monstravit, quomodo iis particulis auctores classici utantur in compositione periodi, de quo nemo eorum, qui de particulis scripsere, cogitavit. Recte ille: *In eiusmodi*, inquit, *particula-*

rum

rum observatione et usu consistit magna ex parte puritas et elegantia Latini sermonis: quapropter varietas illarum et natura diligenter est attendenda. Ultra sedecim vero observationes de particulis his *Cum* et *Tum* profert: *Cum* praeponitur rebus minoribus, *tametsi* magnis: *tum* autem rebus maioribus. *Cum* notat quantitatem infinitam *particularem*, *tum* quantitatem *universalem*: additur ad *tum* in apodosi *etiam*: aliquando *cum* geminatur et geminatis illis postponitur *tum:* aliquando loco *tum* ponitur *tamen*, cum modus verbi mutatur: aliquando particulae *tum* subiicitur *inprimis*: aliquando fit adiunctio in eodem verbo aut in eodem nomine, in comparatione scilicet aliquando ad *Tum* additur *Vero*: aliquando modi non respondent et subiunctivus praeponitur, indicativus postponitur: aliquando ad *tum* additur *maxime* aut *certe:* aliquando augmentum accipit superlativus: aliquando etiam particula *tum* μείωσιν infert contra naturam suam et usum, sed singulari casu: quod exemplo CICERONIS probat eo in loco STVRMIVS. Aliquando fit amplificatio per particulam *praeterea* ad particulam *tum* additam, ut cum *pro Marcello* ait CICERO: *Cum summo consensu Senatus, tum praeterea iudicio tuo gravissimo.* Et hac in re singulare quid obser-

observandum est. Nam cum particula *tum* aliquid maius inferre debeat ex observatione linguae, hic minus aliquid inferre videtur membro illo posteriori, quod sua natura gravius est et aliquod superpondium addere membro priori debebat. Ac Senatus certe consensus, qui praemittitur, maior esse videtur iudicio Caesaris, quod postponitur. Sed hoc summo consilio fecit; hic CICERO, tum ut blandiretur Caesari, ipsius iudicium tanquam maius aliquod postponendo Senatus consensui: tota enim oratione hoc agit, ut Caesarem sibi devinciat: tum ut aliqua ratione satisfaceret Senatui, addendo particulam *Praeterea*, quae illam praerogativam quodammodo imminuere videtur et illam invidiam quasi deprecari. Ea enim particula addita hic uti voluit CICERO, ne videretur aliquam Caesaris excellentiam significare, sed tantum τρόθεσιν aliquam seu accessionem: (e) itaque utrique tam Senatui, quam Caesari

(e) *Itaque utrique)* Ego vero, ne consilium hic CICERONI tribuatur, de quo ne cogitavit quidem, metuo. Neque intelligo, qua ratiore hoc modo CICERO et Senatui et Caesari gratificari potuerit, quorum neuter adeo Latini sermonis imperitus erat, ut vim usumque particularum ignoraret. Si quis varium fuisse harum particularum usum dicat, et in eo prae-

ſari ſatisfacere hac oratione voluit. Aliquando ad (f) *tum* additur *multo* et fit augmentum in verbis diverſum ſignificantibus: ut cum CICERO ait: *Haec cum ſumme inutilia, tum multo turpiſſima ſunt.* Aliquando fit augmentatio per comparativum, omiſſo ſuperlativo, et contra: ut cum CICERO dicit in *Quaeſtion. Tuſculanis: In qua cum virtute noſtri valuerunt, tum plus etiam diſciplina.* Ita enim debebat dicere: *Cum virtute plurimum valuerunt, tum plus etiam diſciplina.* Sed liberum hic eſt, vel Superlativum omittere vel ponere, et ſi non ponitur, tamen ſubintelligitur.

§. V.

Patet ex hoc unico exemplo particularum *Cum* et *Tum*, quod prolixe adeo et tanto apparatu STVRMIVS expoſuit, quam varia et multiplex in obſervandis particulis ſit ratio, de qua nemo vel Lexicographorum, vel Grammaticorum unquam

praeſidium ſibi quaeſiviſſe CICERONEM affirmet, is ſimul confitebitur, in hac obſervatione nihil eſſe certi ratique. Sed omnis haec obſervandi ratio multa habet ambigua, incerta, ſupervacanea.

(f) *Tum additur multo)* In exemplo, quod affertur, vocula *multo* non ad *tum*, ſed ad vocem *turpiſſimus* pertinet.

quam cogitavit. Quod si reliquas eo modo particulas persequi velimus, habita ratione vel verborum, vel particularum, quibus iunguntur, facile hinc coniici potest, quanta observationum sylva proditura sit. Si in singulis particulis consideres, quomodo vel praeponantur, vel postponantur nominibus et verbis, quomodo aliis particulis iungantur, quomodo diversis verborum temporibus, quomodo in comparatione vel superlatione, quomodo singularem aliquam emphasin exprimant, tot hinc observationes nascentur, ut magni voluminis materia futurae sint. In hac vero re adeo ieiuni sunt vulgares Grammatici, omnesque de particulis scriptores, ut nihil supra. Quare omnis ille labor sterilis et mancus est, maioremque curam desiderat. Particulae inprimis, quae tempus consignificant et durationem, variis mutationibus sunt subiectae et pro ratione vocum, verborum, temporum, quibus adiiciuntur, nova aliqua significatione vel εμφάσει imbuuntur. Sit e. g. particula *adhuc*, quae tempus consignificat, sed usurpatione varia magnam orationi diversitatem infert. Particula illa adhuc germanice redditur per particulam noch, noch zur Zeit, ideoque quando iungitur cum praesenti tempore significat nondum desiisse id esse, quod est, ut, cum de

 vino

vino dicitur, *quod adhuc ſapiat*, id eſt, nondum deſierit ſapere, cuius ſignificationis eadem ratio eſt, cum iungitur cum participiis praeſentis temporis, ut: *adhuc florens*, aut cum adiectivis, ut *adhuc integer*. Eadem vero nominibus adiectivis iuncta, non modo tempus, ſed diminutionem aliquam ſignificat, Germaniceque redditur per particulam noch, nur, vel nur noch, ut cum apud CELSVM *in Praefatione* dicitur: *adhuc rudem et vulgarem ſcientiam*, zu der Zeit noch ſchlechte Wiſſenſchafft, quae diminutio in ipſis quoque verbis interdum exprimitur, ut cum CVRTIVS dicit *Lib. IX. cap. II. adhuc in operum ſuorum primordio ſtare*, noch zur Zeit den Anfang eines Dinges nur gefaſſet haben. Eadem particula verbis *imperfecti temporis* iuncta Germanice exprimitur: noch oder noch zur Zeit, ut cum CICERO dicit *Lib. II. de divinatione: adhuc haec ita erant*. Noch zur Zeit war dieſes alſo. Eadem particula verbis *praeteriti temporis* iuncta primo ſignificare videtur actionem aſſiduam, continuamque a praeterito in praeſens tempus ſine ceſſatione ductam, quod Germanice exprimas: Noch allezeit vel bis dato noch immerhin, ut cum CICERO dicit *Epp. ad familiar. Lib. VI. ep. XV. Sicut adhuc feci*, wie ich noch bishero allezeit gethan habe. Ita LIVIVS Lib. IV.

Adhuc

Adhuc seu cura mea seu fortuna restitit parricidio tuo, id est, biß auf diese Zeit. Quando cum praeteriti temporis verbis *adhuc* iungitur, actionem etiam quovis modo in praesens, sine continua quoque cohaerentique duratione permanentem significat, idque tam in affirmante, quam negante sententia. In affirmante *ad hoc tempus*, vel *usque ad hoc tempus*, bishero, at in negatione noch nicht, bishero zu noch nicht. Exemplum affirmantis sententiae apud CICERONEM est *Lib. IV. Epp. ad familiar. Quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit*, wie das Glück bisher mit uns gewaltet habe. Exemplum negativae sententiae est apud CICERONEM *de senectute: Nemo adhuc convenire valuit me, quin fuerim occupatus.* Bißhero hat noch niemand mich antreffen können. Et in *Quaest. Academ. Nemo adhuc docuerat hoc:* Bißhero hat noch niemand dieses gelehret. Apud Comicos solet addi *usque, usque adhuc*, in significatione affirmantis sententiae, ut apud TERENTIVM *Adelphorum. Act. IV, Scen. IV. Cessatum est usque adhuc.* PLAVTVS in *Mostellaria: Prospere usque adhuc processerunt.* Solet interdum particula *usque* omissa particula *adhuc* idem significare, ut quando PLAVTVS ait in *Mostellaria: usque valuisti.* Bißher bist du noch ge-

ſind geweſen. Nam cum recentiores particulam *usque* pro *aſſidue* dictum eſſe volunt, perperam hoc fit. Non enim ille huius particulae ſenſus eſt. *Adhuc* cum verbis praeteriti temporis ſaepė etiam actionem quamcunque notat, quae quovis modo ante praeſens tempus praeceſſerit, Germanice exprimitur in ſententia affirmante: Noch zur Zeit, in negante: Noch zur Zeit nicht: ut quando CICERO dicit *Orat. VII. in Verrem: Quod adhuc mihi magiſtratus mandavit.* Welches mir noch zur Zeit die Obrigkeit befohlen. Ex negativa ſententia SENECA ep. XXIV. *Non pro mea adhuc, ſed pro patriae libertate pugnavi.* Noch zur Zeit habe ich nicht für meine, ſondern für des Vaterlandes Freyheit geſtritten. Solet etiam *adhuc* cum futuri temporis verbis iungi, ſed ita tamen, ut aut praeſentis ſignificatio ſubſit, aut actio iisdem denotetur, quae a praeterito in praeſens nondum expleta ſit, in futurum nullatenus porrigatur. Prioris explicatio Germanice eſt Noch, ut apud CELSVM *Lib. V. Qui therioma adhuc habebunt:* Die noch einen offnen Schaden haben. CVRTIVS *Lib. VIII. 1. Adhuc nos circa Halicarnaſſum haeſuros.*

§. VI.

Hic verus uſus eſt particulae *adhuc*, qui ſae-

saepe tamen corrumpitur. Ipse TVRSELLINVS *de particulis cap. VI.* ait: *Particulam adhuc pro praeterea interdum usurpari,* ut quando CICERO ait *de amicitia: Nisi si quod adhuc forte vultis:* Es sey denn, daß ihr etwas ferner begehret. Quae significatio falsa est. Particula enim *adhuc* significat tempus, nec habet vel extendendi vel augendi significationem. Locus autem ille CICERONIS, quem adducit TVRSELLINVS, corruptus est. In aliis enim editionibus legitur: *Nisi si quid adhaec forte vultis,* scilicet *opponere,* vel *dicere:* Wofern ihr dagegen nicht etwas einzuwenden habt. Et haec lectio plurimis exemplis confirmari potest, ut cum CICERO *Libro de finibus* dicit: *Nisi aut adhaec dicere aliquid vis.* Et inde forte error illorum natus est, qui gradum comparationis aucturi particulam *adhuc* fere adiiciunt, ut *adhuc magis, adhuc plura,* noch mehr. Quod etsi probat IO. VORSTIVS et ipse ea loquendi ratione utatur, ut in *Praef. Libri de Latin. merito suspecta: Adhuc amplius usuros esse,* et eodem *Libro cap. I. adhuc magis meretur* et *c. XV. Sunt adhuc plura* et in *Libro de Latinit. falso suspecta cap. I. Adhuc amplius,* weiter oder noch mehr, in eo tamen ipse Germanismum admittit, dum ex linguae vulgaris genio

intendendi significationem huic voci tribuit. Veteres usurparunt particulam *etiamnum*, ut cum SENECA dicit *ep. XCVII. Quod hac etiamnum pactione turpius est*, et idem *de beata vita c. IX. Aliquid etiamnum exigis maius*, pro quo *adhuc* dixisset, si Latini ita loquuti fuissent. Omnis ergo illa addendi significatio, quae per *adhuc* exprimi solet, barbara et falsa est, ut si dicamus *adhuc alii, adhuc varii, adhuc multi*: quo loco *etiamnum* adhiberi debet. Ita CELSVS: *Praeter haec etiamnum invenitur genus* et: *Etiamnum quaedam alia noscenda sunt: aliis etiamnum vocabulis.* Invenitur tamen particula *adhuc* comparativis iuncta, tam in negante, quam affirmante sententia, sed ita ut temporis significatio, non intendendi subsit, ut cum LIVIVS dicit *Lib. XXI. c. XVIII. Legatio verbis adhuc lenior est, re asperior*: Noch zur Zeit gelinder, et CICERO *ad familiar. Lib. VIII. ep. VII. Quo adhuc facilius rem gessisti*, Je leichter du bißher alles verrichtet hast. Idem in *Orat. pro Caecinna*: *Tardiores fecit adhuc ad iudicandum.* CVRTIVS *Lib. IX. c. VI. Maiora adhuc restant.* CORNELIVS NEPOS in *Miltiade*: *Qua pugna nihil adhuc nobilius est*, id est, nulla pugna ad hoc tempus nobilior fuit. Quare in his similibusque exemplis

bene videndum est, ne nobis imponat illa particulae *adhuc* cum comparativis coniunctio, cuius significatio tum non intendit comparationem, sed ad verbi tempus referri debet. Invenitur particula *adhuc* comparativo interdum ita iuncta, ut intendendi significatio possit intelligi, ut quando apud SVETONIVM *in Tiberio cap. XVI.* dicitur: *Cui gloriae amplior adhuc gloriae cumulus accessit*, et *ibid. c. XLIV. Maiore adhuc et turpiore infamia flagrabat.* Ac si recte illa loca considerentur temporis potius, quam intendendi significatio in illis latet. Et videri quoque posset pro *adhuc* in posteriori exemplo legendum esse vel *adhaec*, vel *adhoc*, id est, *praeterea*: utrumque enim eo sensu apud bonos auctores reperitur. Sunt tamen aliqua sequioris praecipue aetatis exempla, in quibus illa intendendi significatio locum habere videtur: ut cum apud QVINTILIANVM *Lib. II. c. XV.* legitur: *Tum Callicles adhuc concitatior*, et *L. VI. c. III. Adhuc est subtilior.* Videtur haec significatio imitari acceptionem Graecae particulae ἔτι, quae comparativo isto modo iungitur. Adverbiorum comparativis a probatis auctoribus non solet addi particula *adhuc*, sed particula *etiam* vel *etiamnum*, ut: *magis etiam vehementius*, pro quo

 alii

alii dicerent *adhuc*. Eadem ratione vocabulis augendi ſignificationem inferentibus, quibus Germanizantes *adhuc* perperam adiiciunt, Latini frequenter *etiam* vel *quoque* addunt: ut cum CELSVS ait: *Eſt autem alia etiam de diebus iſtis dubitatio.* Ita CICERO ubique ſimplicem particulam *Etiam* intendendi cauſſa comparativis aliisque nominibus apponit, ut cum dicit, *in Academ. Quaeſt. Multo etiam maior.* Quanquam interdum hae particulae *etiam, quoque, etiamnum* deſiderantur et a comparativis prorſus abſunt, quaſi ſtudio omiſſae. Saepe etiam particula *etiamnum* praeter intendendi notionem alia ſignificatione addendi effertur, eaque Germanice redditur: Noch dazu; ut cum CICERO dicit *ad familiares Lib. XIII. ep. XV. Hominem iam peruſtum etiamnum gloria voluit accendere*, noch dazu mit Ehr-Geitz anzünden. Qua ſignificatione particula ſimplex *etiam* interdum adhiberi ſolet. Solent quoque Germanizantium nonnulli particula adhuc exprimere germanicum Nun noch, ut cum quis dixerit: *Nunc unum atque alterum adhuc addere libet*, pro quo Latine dicitur *Etiamnum. Adhuc* proprie *ad hoc tempus* ſignificat, *nunc* vero idem, quod *praeſenti tempore* vel *hoc tempore.* Male ergo coniunguntur hae duae notiones,

nes, quae in diversis membris commode poni possunt, ut cum PLAVTVS dicit *in Aulularia: Quod celatum est usque adhuc, nunc non potest.* Latina alias vulgares illas particularum coniunctiones *nunc adhuc* eleganter exponunt per *etiamnunc*. Quod Germani in affirmante sententia cum verbis praesentis temporis reddunt Noch, nun noch, noch diese Stunde. Ut cum CICERO dicit *ad Atticum Lib. III. ep. IX. Me etiam nunc ipsorum beneficiorum expectatio hic tenet*, et *pro Muraena: Etiam nunc statuere non possum.* Quae significatio in participiis etiam praesentis temporis observatur, ut cum CELSVS dicit *Lib. III. Etiam nunc manentibus reliquiis febris.* Eodem modo imperfecti et perfecti temporis verbis iungitur: praecipuum vero et proprium usum habet, cum verbis futuri temporis additur et Germanice redditur: Noch zur Zeit, ut cum CICERO dicit *ad Atticum Lib. III. ep. XVII. Aut ad te conferam me, aut etiam nunc circa haec loca commorabor*, ubi non licet Latine dicere, *adhuc commorabor*, ut futurum indicetur. Idem *Lib. II. de finibus: Pauca etiam nunc dicam* ubi non licet dicere: *Pauca adhuc dicam. Nunc* igitur licet praesentis temporis particula sit, de futuro tamen interdum commode dici potest et eadem ratione *etiam nunc*.

Sed particula *adhuc*, quia proprie *ad hoc tempus* ſignificat, nullo modo actionem in futurum extendit et ſolum id, quod inſtat, ſignificat, ut cum LIPSIVS dicit: *Adhuc ſemel faciam*, debuiſſet dicere: *Etiam nunc ſemel faciam.* Solet quoque pro *etiam nunc* interdum *nunc etiam* et *nunc quoque* apud optimos auctores uſurpari, ut cum CICERO dicit *Lib. II. de Oratore: Qui nunc etiam amiſſa voce furit*, et in *Libr. de Oratore: Quae nunc quoque ſunt praepoſita.* In ſententia negante pro *etiamnum* poni ſolet *ne nunc quidem* vel *nunc quoque non*, noch dieſe Stunde nicht: ut cum CICERO dicit *de ſenectute: ne nunc quidem deſidero*, et *ad Atticum Lib. V. ep. III. Nec fere nunc erat ſane quod ſcriberem:* Noch dieſe Stunde wuſte ich nichts zu ſchreiben. Haec exempla ſi probe conſiderentur, error ille inſignis eſt TVRSELLINI *cap. LV.* cuius haec regula eſt: *Etiamnum ſeu etiam nunc pro adhuc uſurpari ſolet.* Nam (I) *Etiam num* et *etiam nunc* multum inter ſe differunt, cum *etiam nunc* temporis adverbium ſit, *etiam num* vero ſine tempore intendendi et augendi ſignificationem habeat. (II) *Etiam nunc* pro *adhuc* uſurpari non poteſt: illa enim multis modis differunt, ut exemplis ſuperioribus conſtat. Quemadmodum Latinae orationis vitium eſt: *Nunc*

adhuc pro *etiam nunc:* sic barbarum est *usque nunc*, biß auf diese Stunde, quod Latini reddunt *ad hoc tempus* vel *usque ad hoc tempus.* Ita CAESAR *Lib. II. de bello Gallico: Neque enim ad hoc tempus ei rei student.* CICERO *Orat. VI. in Verrem: Usque ad hoc tempus festos dies agunt.* Solent etiam Latini dicere *ad id tempus*, biß zu der Stunde, vel rectius, biß dahin. LIVIVS *Lib. XXIII. c. XLIV. ad eum diem* dicit: *cuius utros ad eum diem poenituit.* Falsus itaque est TVRSELLINVS, dicens: *Usque nunc pro etiam nunc Latine posse adhiberi:* si quidem hoc in praesenti tempore iam est, illud a praeterito in praesens tendit, quae notiones diversae sunt. Nec levis VORSTII error est, qui in *Libro de Latinitate falso suspecta* praecipit: *Cum demonstrandum sit tempus, quo factum sit quippiam, Latinos nudo fere casu sexto uti, dicereque eo tempore vel ad id tempus:* sed magna est in his differentia. Nam *ad id tempus* dicitur esse, quod ante id tempus sic fuit, ut usque ad id porrectum sit, at *eo tempore* dicitur esse id, quod in id tempus tantummodo incidit. Exemplum CAESARIS, quod illic adducit, contrarium plane ostendit. Ita enim ille: *Ad id tempus, quo Magium interceptum remittebat Caesar, colloquendi cum Pompeio Caesari facul-*

cultas facta non erat, quo intelligitur, ab antecedenti usque ad praesens tempus factam non esse Caesari potestatem. At si dixisset, eo tempore, quo a Caesare remittebatur Magius, colloquendi copiam non fuisse, id significasset, *neque ante*, *neque postea*, sed *tum* duntaxat non fuisse colloquendi potestatem. Illud igitur *eo tempore* recte explicari per *tum* potest, neutrum vero *ad id tempus* significat. Et in una sententia persistere *Tum* et *ad id vel hoc tempus* non possunt, neque unum per alterum potest explicari. Male ergo Latine loquitur, qui haec verba damahls noch reddit per *tum adhuc* vel *adhuc tum* ut Germanizantes quidam solent, cum Latine sit dicendum: *Etiam tum* vel *etiam tunc*. Nam quemadmodum *adhuc* et *nunc* male inter se coniunguntur, sic neque *adhuc* et *tum* iungi possunt. Significatio quoque particulae *tum*, quae opposita est particulae *tunc*, redditur Latine *eo vel hoc tempore*; quod de praesenti vel quasi praesenti intelligitur, non de praeterito, quod Germanice exprimi solet damahls, zu der oder zu dieser Zeit. *Tunc* futuro solet iungi, ut cum TIBVLLVS dicit *Lib. II. Eleg. V.*

> *Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,*

Sed

Sed tamen et praeteriti temporis notione reperitur. Falſum eſt, quod RHODIVS in *Scriboniano indice* docet, *tum temporis* inter notas futuri temporis referri, cum ſignificet *praeſens tempus* et particula *etiam tum* idem eſt quod eo tempore nondum deſierat, Germanice damahls noch. Ita CICERO *Lib. II. de Oratore. Cum etiam tum in lecto Craſſus eſſet*, id eſt, cum eo tempore nondum deſierat in lecto eſſe Craſſus. Et ita quidem uſurpata haec particula quaſi unum vocabulum ſcribitur, non diverſis vocibus. Cum vero dividuntur voces aliam ſignificationem habent, ut cum *CELSVS Lib. VII.* dicit: *Itaque etiam tum id extrahi convenit.* Derhalben man daſſelbe alsdenn auch abziehen ſoll. Ita quoque particulae *etiam tunc* dividuntur, ut in hoc exemplo apud IVSTINVM: *Graeciam etiam tunc et viribus et dignitate orbis terrarum principem.* Id Germanice exprimitur: Zu der Zeit noch. Exceptionis hic loco videtur eſſe, quod apud SVETONIVM *in Vita Ottonis cap. III.* particula *adhuc* legatur diminutionis ſignificatione, cum particula *Tunc* iuncta: *Item Poppaeam Sabinam tunc adhuc amicam eius* (id eſt, nondum uxorem) *recepit.* Poteſt vero *tunc* ibi ad verbum *recepit* pertinere, vel ad *amicam*, hoc eſt, illo tempore recepit

Pop-

Poppaeam, quae nondum desierat esse amica Neronis: quo sensu sic distinguendum esset. *Item Poppaeam Sabinam, tunc adhuc amicam eius recepit.* Interdum quoque *etiam cum* simili constructione in significatione noch wenn occurrit, quod Germanizantes sine dubio male redderent *adhuc cum.* CELSVS *Lib. VIII. Atque etiam cum tempus processit.* Und noch wenn schon eine Zeitlang hin ist. Germanismus etiam est, cum quidem particulas has Germanicas so lange als noch exprimunt *quamdiu adhuc* vel *dum adhuc.* Simpliciter enim per *dum* reddi debent. Nam quod apud VALERIVM MAXIMVM reperitur: *Solon neminem dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur*, id dubiae lectionis a multis habetur, neque VALERIVS MAXIMVS inter probos Latinitatis auctores habendus est. Ex his omnibus patet, particulam *adhuc*, quae *usque ad hoc tempus* proprie et vere significat, cum aliis particulis praesentis temporis non recte iungi: quam ob caussam etiam hanc loquendi rationem *adhuc hodie* vel *hodie adhuc* damnandam esse existimo; rectius cum Latinis scriptoribus dicetur: *Hodie etiam* vel *hodie quoque*, pro quo ultimo aliqui *hodieque* dicere solent, quae vox per abbreviationem ex *hodie quoque* nata est,

eſt, (g) quod SCIOPPIVS contendit, fruſtra impugnatus a GRONOVIO, cum exemplaria codicum abbreviatione utantur, in quibus non legendum *hodieque* ſed *hodie quoque*. Barbarum etiam hoc eſt et ex Germanici ſermonis ratione confictum, cum dicitur *adhuc unum*, noch eins, ut, ſi una epiſtola accepta ſignificaturus alicui, daß ich noch einen Brief empfangen, ita Latine ſcriberem: *Unam adhuc epiſtolam a Te accepi*. CICERO quidem *Lib. VII. ad Attic. ep. XII.* eo modo loquitur, ſed alio ſenſu. Referenda enim eſt particula *adhuc* ad verbum *accipere*, ut hic ſenſus ſit: *Unam tantum usque ad hoc tempus epiſtolam a te acceperam*. Recte igitur conſideranda verba ſunt et attendendum, quibus particulis illa accommodentur. Errat hinc FABER in

(g) *Quod Scioppius)* SCIOPPIVS *Infamia Famiani* p. 44. aurea aetate quemquam dixiſſe negat *hodieque*. Contrarium GRONOVIVS tuetur Notis ad *Livii Lib. I. c. XXVII.* Conf. CELLARII *Curae poſterior. p. 62.* Ego poſteriorem probo ſententiam, neque ponderis aliquid habere arbitror, quod de emendatione LIVII hic monet MORHOFIVS. Quaenam, obſecro, haec foret licentia, ſi vox quaedam minime nobis arriſerit, ad emendationes ſtatim confugere? Conf. quae olim monui *Oratione de eo quod nimium in ſtudiis Criticis*.

in Lexico, qui locum illum CICERONIS interpretatur: Noch einen Brief. Quod si vero ille sensus exprimi debet, per vocem *alter* exprimendus est: *alteram a Te epistolam accepi:* quae vox etiam in plurali usurpatur, ut, cum VIRGILIVS dicit *Eclog. III. Aurea mala decem misi, cras altera mittam:* barbare diceretur: *Cras adhuc decem mittam.* Ita CICERO in *Tusculanis Quaestionibus ad Brutum: Alteros quinque libros mittemus.* Falsum est et hoc, cum BAVDIVS *Centur. III. ep. XXXVII.* ait: *adhuc tantundem*, Noch so viel. Nam particula *adhuc* vim intendendi non habet et *tantundem* proprie significat, quod Germanice eben so viel oder gleich viel. Ita CICERO ait *in Tuscul. Quaest. Tantundem viae est:* Es ist gleich weit. Quod barbare *unum adhuc* dicitur, id Latini efferre solent: *Etiamnum unum*, ut apud VALERIVM MAX. *Lib. V. c. X. Uno etiamnum domestico exemplo adiecto.* Apud SENECAM quidem *Lib. III. Quaestion. Natural. cap. VIII.* reperitur: *Unam rem adhuc adiiciam.* Sed dubium videri potest, utrum id Germanice reddendum sit: Noch eins muß ich sagen, hoc est, *etiam num unum adiiciam*, an vero: Eins muß ich noch sagen, hoc est, *nondum desino adiicere unam rem.* At quoniam *adhuc* cum futuri temporis verbo hic iungitur,

tur, ideo potius est, ut legamus: *Unam rem ad haec adiiciam.* Certe CICERO *Oratione IV. Verrina: Unus fuit adhuc post Romam conditam, cui res publica totam se traderet,* ubi sensus non est: Es ist noch einer gewesen. Non recte quoque dicitur *adhuc semel*, noch einmahl, cum *etiamnum semel* vel *etiam* dici debeat. Est quoque differentia inter *iterum* et *rursus* facere: nam *rursus* aut oppositionem inter contrarias res vel contraria in eodem membro verba aut repetitionem alicuius actionis, sed sine numeri, sine ordinis respectu notat. *Rursus* itaque *facere* est quod alii barbare dicunt *adhuc semel.* *Iterum facere,* dasselbe noch einmahl wiederhohlen, ut cum apponuntur *primum* et *iterum,* das erste mahl, das andre mahl, vel *semel* et *iterum,* zum ersten und andern mahl, vel *iterum* et *tertium* zum andern und dritten mahl. *Adhuc non* proprie dicitur de eo, quod antequam nunquam factum est, neque deinceps futurum esse speratur, aut certe, de quo nulla exspectatio est, Germanice: Noch zur Zeit nicht, ut cum CICERO ait *de Senectute: Quod equidem non amisit adhuc,* welches ihm noch nicht vergangen ist. Similiter *adhuc nunquam,* noch nimmer nicht, ut CICERO *Orat. VII. in Verrem: Ego, quod adhuc nunquam audistis, commemora-*

bo. Conveniunt hae loquendi rationes cum particulis *nondum, adhuc non, nihil adhuc, nihildum,* ut cum CICERO ait *ad Atticum Lib. II. ep. XXVIII. De illius discessu nihil adhuc rumoris est.* Item: *Brundusio nihil dum erat allatum* pro: *Nondum quicquam erat allatum,* et *ad familiar. Lib. XII. ep. VII. Quanquam nihil dum audiveramus.* Sic voces *nullus adhuc* vel *nemo adhuc,* vel *nullus dum* eadem ratione adhibentur, ut cum CICERO ait *pro Rabirio: Hoc affirmo, neminem unquam adhuc in Te esse confessum,* et *LIVIVS Lib. XXI. Facinus adhuc in nullo etiam vindicatum.* LIVIVS *Lib. V. cap. XXXIV. Alpes nulla dum via separatas,* id est, die damahls noch nicht erstiegen waren. Ita *neque adhuc, neque dum, nec dum,* eadem ratione, qua simplex *adhuc non* et *nondum etiam* explicantur. Ut CICERO *Lib. II. de finibus: Id neque feci adhuc, neque ne faciam, interdictum mihi puto.* Das habe ich noch nimmer nicht gethan. Idem *ad Atticum Lib. I. ep. 24. Neque dum Roma es profectus.* Und du bist noch nicht von Rom weg. Falsi igitur sunt, qui *necdum* et *nequedum* simpliciter pro *nondum* substituunt. Est enim *neque* vel *necdum* proprie idem, quod *et non.* CICERO. *Quaest. Tuscul. Philosophi summi, necdum tamen sapientiam consecuti,* id est, *et tamen nondum consecuti.* Dixi

par-

particulam *nondum* pro *adhuc non* positam inter vitia linguae Latinae numerari, sed particulae tamen *adhuc non* aliquando sine vitio in Latina oratione poni possunt pro *nondum*. Ita CICERO dicit *ad Atticum Lib. III. ep. XIII. Non commovi me adhuc Thessalonica*, hoc est, *nondum commovi Thessalonica*. Alius error est, cum particula *hactenus* in Latina lingua male adhibetur pro *adhuc*, quod itidem ex Germanismo provenit. Nam in vernaculo sermone particula bißhero aeque *temporis* ac *loci* significationem habet; ideoque quod CICERO ait: *Maiori in varietate versata est adhuc causa tua*, id Germanice reddi potest: bißhero ist deine Sache veränderlich gestanden, et quod idem *Libro de amicitia* dicit: *Hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere*, id Germanice etiam verti debet: Bißhero habe ich hievon gesagt, was ich habe sagen können, h. e. *usque ad hunc dialogi locum de amicitia dixi*. Germanicum igitur bißhero et *tempus* et *locum* indicat. Id vero hodie sic imitantur plerique, ut non modo non discernant voces *hactenus* et *adhuc*, quorum illud *loci*, hoc *temporis* adverbium est, sed etiam alterum in alterius locum saepe perperam substituant, ut passim apud veteres Latinos et crebro in significatione bißher usurpatum, Germa-

 nicis-

nicisque praeterea auribus convenientius. Inde fit, ut vix quisquam ex eruditissimis hodie Germanicum bisher, quando tempus significat, per voculam *adhuc* more Romano recte explicet reddatque, sed eius loco perperam *hactenus* ponat. TVRSELLINVS *de particulis cap. LXIII. Cum usque ad hoc tempus significatur, non solet hactenus usurpari, sed adhuc.* MANVTIVS *Comm. ad Epist. I. Lib. II. ad familiar. Hactenus semper usurpatur de re, adhuc de tempore.* Non enim dixeris: *Hactenus ita sensi*, sed: *Adhuc ita sensi.* GOCLENIVS in *Analectis P. II. Lib. II. cap. XXII.* idem sentit. In altera vero editione: *Hactenus*, inquit, *de re vel loco proprie usurpatur, per Enallagen vero significationis etiam de tempore, cum doctissimis Scaligero, Erasmo, aliisque usurpare licet.* Etiam JO. PINCIERIVS in libello, quem *Otia Marpurgensia* inscribit *Sect. III. cap. XIII.* ex VIRGILIO putat aliquot versus depromi posse, in quibus *hactenus* non de loco, sed de tempore accipiendum: verum falsus ille in loco VIRGILII est. SCALIGERO vero et ERASMO nullus hic locus est, qui communem errorem etiam suum fecerunt. Ipsa praeterea compositio particulae *hactenus* hanc significationem docet: componitur enim ex pronomine *hac* et

prae-

praepoſitione *tenus*, ut ſit quaſi *hac parte tenus*, id eſt, usque ad hanc partem, puta orationis, epiſtolae, carminis etc. Scilicet ut *ea* pro *ea parte* et *qua* pro *qua parte* Latinis dicuntur, unde *quatenus* et *eatenus* natum, ſic apud eosdem eſt *hac* pro *hac parte*, unde fit *hactenus*, germanice bisher. Aliquando *hactenus* et *eatenus* per ſe poſita ſignificant *usque eo* bis dahin, item ſo weit, ſo fern, ut apud CICERONEM *Lib. I. de Natur. Deor. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qua animantem immortalem eſſe velint.* VALERIVS MAXIMVS *Lib. VI. c. VIII. Nec hactenus benevolentia proceſſit.* Ita *quatenus* per ſe poſitum ſignificat wie weit, ut apud CELSVM *Lib. V. Quatenus terebra agenda ſit.* Nonnumquam id ipſum Germanice reddendum in ſo weit als, pro quo dici vulgo ſolet *in quantum*, quae tamen ipſa locutio non eſt ſpernenda, cum TERENTIO auctore nitatur. Solet etiam particula *qua* per apodoſin referri ad *hactenus* vel *eatenus*, ut cum QVINTILIANVS dicit: *Dandum aliquid quoque Comoedo, eatenus qua pronuntiandi ſecretum futurus Orator deſiderat.* Interdum quoque ſi ambiguum in oratione ſit, an *qua* pro *qua parte* non intelligatur, *quatenus* potius ponitur, ut apud CELSVM *Lib. II. Ex ulterioribus au-*

tem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur: ubi noluit dicere, *qua emittitur*, ne intelligeretur: *qua parte sanguis emittitur.* Interdum etiam pro *qua* vel *quatenus* praefertur *quoad*, germanice, in so weit als, ut CICERO *Lib. I. de legibus. Sed hoc civile ius eatenus exercuerunt, quoad populo praestare voluerunt.* Alias adverbiis loci *hactenus* et *eatenus* nonnunquam respondet adverbium temporis *quoad* pro *donec*, so fern, oder in so weit biß, ut CICERO *ad famil. Lib. III. ep. III. Hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine illo fieres*, so fern halte ich ist unser Trost wohl angelegt, biß du. Solet etiam particula *ut* sequi particulam *hactenus* vel *eatenus*, interdum etiam *ut non*, interdum *ne*, ut CICERO *Lib. II. de Oratore: Prae duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur.* CICERO *de optimo genere dicendi: Verba prosequeris eatenus, ut non abhorrerent a more nostro.* CELSVS *Lib. V. Sed si minime superavit, tentanda squama aeris est eatenus, ne quid eminere patiatur.* (h) Ex hoc exemplo iudicium esto de cete-

(h) *Ex hoc exemplo)* Non est, cur moneam, sylvam hanc observationum de vero particularum usu incredibilem auctoris sagacitatem et

ceteris particulis, quanta et quam multa in his obſervari poſſint, quae nulli Grammatico-

et ſolertiam ſignificare, qui quidquid ſingulare in univerſa eſt eruditione unus vaſto ingenio exhauſiſſe videtur, nec exiguam curatius de his rebus meditandi occaſionem ſuppeditare illis poſſe, quibus Latini ſermonis cultura demandata eſt. Res etenim ipſa id quemlibet ſtatim docebit. Id ergo tantum indicabo, has obſervationes illud ipſum eſſe, quod *Polyhiſtor. Litter. Lib. III. cap. II. p. 566.* his verbis promittit: *Sed de particularum et ſenſu et uſu inveſtigando alibi plenius a nobis agetur.* Quamobrem V. C. IO. MöLLERVM, qui hoc loco inductus MORHOFIVM peculiarem *librum de particularum linguae Latinae uſu et ſenſu inveſtigando* componere voluiſſe, tradit *Comm. de vita Morhofii p. 67.* non ſatis animum eius perſpexiſſe arbitror. Quod ad rem ipſam attinet, ſic mihi videtur. (I) Laudandi ſunt illi, qui in harum etiam rerum inveſtigatione ſtudii et diligentiae ſuae partem collocant, ſi quidem id ſine graviorum negotiorum neglectu facere queant. (II) Eſt etiam neceſſarium, ut qui Latine volunt ſcribere et ab aliis intelligi, ſi minus plenam et accuratam, mediocrem tamen harum obſervationum notitiam ſibi comparent. (III) At qui ab omnibus Latinitatis ſtudioſis exigeret, ut quidquid haec obſervatio particularum ſubtilitatum continet memoriae mandaret, is non nimis ſapienter ageret. Namque (IV) melioribus iſta ratione rebus nimium eriperetur tempo-

ticorum ne per somnium quidem in mentem venerint, ideoque exercenda hic nostra industria et e continua lectione quam diligentissime tales observationes instituendae.

CAPUT XIV.

De particulis connectentibus expletivis, earumque variatione.

§. I.

Vidimus particulas, quae in oratione poni solent, tanquam adiectas verbis et vocibus, vel quae orationem inter se coniungunt. Magna in his observandi ratio est: nam vel ex unico illo exem-

temporis memoriaque fortassis omnium tot regulis capiendis haud sufficeret. (V) Neque est, cur existimemus, omnium, quae in eiusmodi rebus sibi viri docti animadvertisse videntur, hanc esse indolem, ut nec firmo certoque fundamento, nec utilitate sua careant. Desiderabit etiam in his, quae MORHOFIUS hic notavit, nonnulla, qui rem accuratius expenderit. (VI) Multa etiam sunt huius generis quae usu longe rectius addiscuntur, quam praeceptis et regulis: quid, quod multa ipsa ratio sine ulla arte docet. (VII) Igitur, quamvis nemini auctor esse velim, ut regulas et observationes spernat, sic tamen mihi persuasi,

exemplo, quod dedimus, quivis paullo ſagacior facile animadvertet, quanta ſit varietas particularum in applicatione, praecipue ſi ad tempus, locum, ſimilesque circumſtantias referantur, quod ex quovis variato reſpectu variam ſignificandi rationem nanciſcantur. In his ergo eius verſari cura debet, qui emendate Latine loqui cupit, cuius emendatae locutionis magna, ne dicam maxima, pars in recto particularum uſu conſiſtit. Sunt enim, id quod diximus, illae quaſi nervi totius corporis oratorii. Cum vero duplex particularum ſit officium, tum ut orationem *expleant*, tum ut illam inter ſe *iungant*, ita quoque ratione iſtius officii dupliciter earum obſervatio inſtitui debet. Nos cum de uſu particularum, quatenus ad ipſum ſermonem formandum pertinent, dixerimus, reſtat nunc, ut de iis dicamus, quae vinculum orationi praebent, eamque inter ſe per membra iungunt.

ſuaſi, eum, qui mature bonorum auctorum lectioni ſeſe dediderit, ſine longo labore et moleſtia tantum harum ſibi elegantiarum acquiſiturum eſſe, quantum vix diuturna regularum conſideratio et eas ediſcendi ſtudium ſpondet.

§. II.

Et hae ſunt particulae illae, quas *connectentes* dicimus, quibus tranſitus fit vel a maioribus orationis membris ad minora, vel an enthymematibus ad enthymemata, vel a periodis ad periodos, vel a periodorum partibus ad alias, a protaſi ſcilicet ad apodoſin, vel ab uno membro ad aliud; quae ratio obſervandi aliquanto latius patet, quam altera illa. Prior enim illa ex ſola appoſitione vel verbi, vel nominis, vel alterius adverbii aut particulae menſuram capit! haec autem obſervandi ratio ad totam ſententiam reſpicit. Ideoque ſemper attendendum eſt, qua ratione ordine poſteriora priora excipiant et quae in his ſit conſecutio, quod latiſſime patere quivis videt. At nemo eſt ex toto Grammaticorum choro, qui eam rem tali cura et ſollicitudine tractaverit, qualem poſtulat.

§. III.

Monuerunt quidem nonnulla vulgares particularum ſcriptores, at nullus ad ſingularia deſcendit, ſed omnes circa communia verſantur. Unicus eſt IACOB. HVGVES, Ieſuita, qui librum *de artificio tranſitionum* ſcripſit, quem in Germania KIRCHMAYERVS recudi fecit. Is inter alias connectendi formulas particulas connectentes ſemper praemiſit. Sed paucae illae ſunt et longe

longe maiori cura colligi potuiſſent. Laudari tamen ille labor tanquam rudimentum talis operis debet.

§. IV.

Neque ſolum in ſoluta oratione, verum etiam in ligata obſervari tales particulae debent. Ut enim ſtructura ſermonis ſoluti pro varietate dictionis et characteris aliam aliamque habet compagem: ita orationis ligatae ſtructura maximopere a ſoluta differt. Nullum enim carminis genus eſt, quod non ratione periodi et numeri variet, ideoque accurate hic attendendum eſt, quibus particulis connectentibus periodi poëticae, vel in narrationibus, vel in deſcriptionibus, vel in enthymematibus coniungi ſoleant, et quibus formulis idem ſignificantibus earum particularum vis exprimi ſoleat. Nam formulae connectentes, praeſertim minores, ſignificatione quaſi aequipollent iſtis particulis connectentibus, ideoque et illae pro particulis ipſis notari poſſunt et debent. Sed maiores tranſitionum formulae ad Rhetoricas ſedes ſunt transferendae et ſingulari libro colligendae.

§. V.

In ſermone ſoluto ſi ſimplices illas particulas connectentes collegeris, illae etiam non ſolum particulae, ſed et formulae, quibus

bus variari una eademque particula poteſt, colligi debent. Ut enim videtur chorda qui ſemper oberrat eadem, ita inepta erit oratio, quae iisdem particulis connectentibus ſemper utitur, ideoque ſemper in promtu eſſe debent idem ſignificantes particulae. Quas cum nemo adhuc collegerit praeter ELIAM MAIOREM, merito ille liber ad hoc negotium commendari debet, qui praeter particulas earumque variationes etiam alias orationis partes illis coniunxit, earundemque variandarum rationem tradidit, appoſita exemplorum farragine, unde de recto iſtarum particularum uſu conſtare poſſit. Sic e. g. ſi quis adverbiis intendendi uti velit, non tantum adverbia illa in promtu habere debet, ſed et alias praeterea formulas, quae aequipollent his particulis intendendi, *valde, vehementer, vehementiſſime, impenſe, impendio, oppido, mirifice, mirabiliter, incredibiliter, magnifice, prorſus, plane, planiſſime, praecipue, ingnifiter, praecipue atque inſigniter, inprimis, efflictim, efflicte, ampliter, ampliſſime, unice, ſane, ſanequam, perquam, affatim, plurimum, inſane, magnopere, maximopere, multopere, maxime, nimium, eximie,* quae omnes particulae intendendi ſignificationem habent. Sed notandum eſt, non eſſe aequalem earum uſum: quaedam quibusdam tantum

ver-

verbis applicantur, aliis vero minime. Ita dicitur *efflictim amare*, quae particula aliis verbis non applicatur. Ita *unice diligere, insigniter aliquid factum esse* dicitur. PLAVTVS particula *insane* usus est modo catachrestico, quae loquendi ratio in serio sermone fugienda est. Pertinent huc formulae *immane quantum, mirum quantum, nimium quantum, immensum quantum, incredibile quantum*; item illae: *mirum dictu, difficile dictu, vix verbis exprimi potest, non dici potest, nequeo verbis complecti, supra quam credibile est, ut nihil supra*. Item exclamationes, ut: *Dii immortales, Dii vestram fidem! proh Deum atque hominum fidem.* Occurrunt quoque apud SCHöNSLEDERVM in *Apparatu eloquentiae* tales particularum variationes et formulae, quibus in oratione et orationis connexione uti possumus. Sic ad connectendi particulas pertinet particula *praeterea*, cui consonant istae: *deinde, quod saepius iam dixi, praecipue, proxime, ceterum, tum, adhaec, accedit his, accedit adhaec, huc accedit, huc pertinet, huic confine est, huic finitimum est, huic proximum est, illud haud praetereundum, sed operae pretium et hoc, age vero ad illud veniamus, quid? quod, quin etiam, proxime accedere videtur, etenim vero, prope supervacaneum videri possit, verum et illud, non credat hoc quisquam, nisi et illud constaret,*

ret, quid illud? quanti tandem faciendum putatis, illud etiam me commovebat, contemplemur et alia, aliud ex alio mihi occurrit, ac primum quidem illud praetereundum haud est. Infinita talia occurrunt in lectione auctorum, quae ad hanc particularum variationem referenda sunt, et (i) seorsim notanda. Non minor connexionum poëticarum usus est, quarum collectio simili modo instituenda; Exemplum dedit DEKENIVS in *Observationibus Poëticis*, quas nuper recudi fecimus: quanquam longe plura notari possunt. Occurrunt enim apud illum exempla pauca et primo statim obvia.

§. VI.

In Historia scribenda connexionum quoque singularis usus est, et diligenter notandae sunt variationes particularum, quibus exprimuntur circumstantiae loci, temporis, modi, quae in singulis pene periodis narrationum occurrunt: quarum si quis delectum

(i) *Seorsim notanda)* Quamquam enim plerumque memoria hominis in bonorum auctorum lectione versati suggerere soleat, quae res postulat et necessitas, est tamen interdum, ubi ea nos destituit, saltem non ea suppeditat, quae praesenti negotio omnium optime conveniunt.

ctum instituere non didicerit, iisdem semper particulis utetur, sterilemque et ieiunam orationem efficiet. Et hic quidem maxime patet huius variationis usus, ut quivis facile deprehendet, qui Historiam aliquam e Germanica in Latinam linguam transferet, quod illi certe difficillimum erit, qui in his variationibus non exercitatus fuerit. Haec autem promtitudo nunquam rectius obtinebitur, quam diligenti Historicorum lectione ac observatione consecutionis periodicae super his articulis fundatae. Hunc in finem proderit rudi et tumultuaria opera notasse periodorum notabilia initia, quae licet inter se non cohaereant, tamen cum Historia scribitur et fugitivo tantum oculo illa percurruntur, confestim memoriae occurret aliquid, quo necti periodus periodo queat, ne in iisdem particulis semper repetitis haereamus.

CAPUT XV.

De puritate dictionis ratione formae consideratae.

§. I.

DIximus hactenus de puritate Latini sermonis, quantum illa spectatur in *materia*, vocibus scilicet earumque delectu; nunc ad illam puritatem accedi-

cedimus, quam a *forma* nancifcitur, quae *forma* confiftit in apta et decente vocum iunctura. Dimiffis enim vocibus fimplicibus, ad coniunctas accedimus, quarum prima potiffimaque ratio in *Syntaxi* confiftit, cuius directio tota dependet a *Grammatica*, omnibusque illis auctoribus, qui Grammaticas praeceptiones fcripfere, quarum ut accuratiorem notitiam habeamus, (k) tam veteres, quam recentiores noffe auctores operae pretium eft, qui Grammaticae ftudium prae caeteris excoluerunt.

§. II.

Magni funt in Grammaticis defectus, neque facile invenies in tanta turba Grammaticorum, cui fecure fidere poffis. Peccant enim partim regularum abundantia, partim inopia, partim etiam ipfi ignorant artem illam μεθοδικὴν, quae ex intimis philofophiae principiis eft depromenda, partim etiam deftituuntur accurata linguae Lati-

(k) *Tam veteres, quam*) Extat iam in *Polyhiftore Tom. I. Lib. IV.* peculiare caput, decimum nimirum, *de Grammaticis Latinae linguae*, fed id, fi cum ea comparetur notitia, quae hoc loco fubminiftratur, longe fterilius eft. Non exiguum ergo ornamentum et pretium huic libello hoc de re Grammatica caput adferet, quod perficiendum relinquimus illis, qui Grammatices Hiftoriam conficere ftatuunt.

Latinae notitia, quae omnino necessaria est ad fundamenta Grammatices bene ponenda. Quae enim Grammatices praecepta tradet, qui ipse in Latina lingua ieiunus est et vix prima eius rudimenta cognovit? Hinc tot sunt querelae optimorum Grammaticorum et Philologorum de perversa Latinam linguam docendi ratione, quas uno libello cumulavit HOFFMANNVS aliquis, Hamburgensis collega. (l) Nec leve peccatum est lingua Latina tradi praecepta Grammatices, quae tradi debebant lingua notiori, Germanica, vel alia vernacula, de quo queritur ROLAND. MARESIVS *Lib. I. epist. Philol. cap. XVI.* qua commendat Grammaticen linguae Latinae Gallico sermone scriptam: fuit enim ipse Gallus. Ita HOFMANNVS ille, quem modo laudavi, Grammaticam linguae Latinae Germanice scripsit: idemque BüTTNERVS non ita pridem fecit. Anglica lingua CAROLVS HOOLE praecepta linguae Latinae in gentis suae usum tradidit.

§. III.

(l) *Nec leve peccatum)* Hoc vitium a sapientioribus inter Germanos, Gallos, Anglos et alios populos iam emendatum est, qui Grammaticos libellos patria lingua conscriptos pueris hodie ediscendos proponunt.

§. III.

Si verum fateri velimus, puerilis aetas paene non capax est ullius artis Grammaticae, in primis si altius e philosophicis arcessatur principiis, quemadmodum eo in argumento versantur SCALIGER *de causis Latinae linguae* et SCIOPPIVS in *Grammatica philosophica*. CARAMVELIS enim et CAMPANELLAE praecepta nugatoria sunt et proficiscuntur ab hominibus elegantiae Latinae parum gnaris. Quare ego potius probarim illam methodum, qua lingua Latina in modum vernaculae discatur solo usu, si opes alicuius admitterent, ut aleret homines, in lingua Latina exercitatissimos, cum quibus continuo versaretur qui erudiendus est puer. Neque desunt eius rei exempla, quae feliciter sane successerunt, ut MONTANI, qui eo modo ipse institutus est, in libro suo *Les Essais* testatur, et exemplo pueri quadrimi confirmatur, de quo (m) in *Polyhistore* meo pluribus egi. Plus hic ex commercio et colloquio discitur, quam sexcentis regulis Grammaticis, modo ista colloquia ita instituantur, ut de linguae Latinae puritate securi esse possimus. Quod si fieri non possit, praestat ex usu et lectione auctorum disce-

(m) *In Polyhistore*) Tom. I. Lib. II. cap. IX. p. 420.

discere linguam, quam ex colloquiis et commercio. Nec enim obtineri illa ἀκρίβεια et puritas linguae potest, nisi qui Latine loquuntur linguam probe calleant, pureque loquantur, eosque qui non recte loquuntur e vestigio corrigant. Tales si haberi nequeant, plus noxae est in hoc exercitio, quam commodi.

§. IV.

Prolixum etiam et taediosum opus est eorum, qui regulas Grammaticas per *imagines mnemonicas* inculcare volunt pueris: etsi enim non damno artem mnemonicam, et illa certis casibus laudanda, ut cum ipsa verba memoria volumus comprehendere: in regulis tamen Grammaticis memoria capiendis nimis longe petitum hoc videtur exercitium. vid. BECHERVS in *Methodo didactica c. VI.* ubi de his aliisque subsidiis plenius agit. In rerum nomenclatura aliqua mnemonices ratio est, nam beneficio picturae rerum nomina firmius se ingerunt, quod consilium COMENII fuit in *Orbe picto.* Longe tenacius memoriae inhaerent nomina, si pueri in rem ipsam praesentes ducantur, omniumque negotiorum et opificiorum nomenclaturam simul cum rebus ipsis imbibant; sic etenim cognitionis rerum simul fundamenta ponunt. Et memini ego ingeniosum quen-

dam puerum praeceptore parente omnem nomenclaturam herbarum tenuiſſe, cum primum verba formare inciperet, ea methodo, ut pater illi omnes herbarum ſpecies oſtenderet et nominaret. Ad exercitium alias Latinae et omnis linguae impedimento ſaepe ſunt multa et prolixa Grammatices praecepta. Grammatica enim non tam ipſam linguam nos docet, quam philoſophiam quamdam de lingua, qualem ipſi formare nobis poſtea poſſumus, poſtquam ſemel linguam ipſam per lectionem et uſum comprehendimus, (n) cum omnis Grammatica per ſe et natura ſua omni lingua ſit poſterior et florente gentis lingua nemo umquam Grammaticam, niſi matura aetate, in conſilium adhibuerit, poſtquam iam linguae perfectum uſum habuit. Praeſtat ipſa primum tenere vocabula, et ſumma quaeque et compendiaria Grammatices praecepta, hincque

(n) *Cum omnis Grammatica)* Id principium fundamento ſatis firmo niti, ſi unam fortaſſis aut alteram excipias linguam, dubitatione caret. Ita vero quid de illis iudicandum erit, qui ad rationis regulas cuncta in linguis et Grammaticis revocare ſtudent, et Philoſophicas Grammaticas conſcribunt. Idne fortaſſis, in multis eos ingenioſos potius, quam veros et accuratos fuiſſe?

que recto pede ad auctores ipsos pergere, unde, formatis pro puerorum captu exercitiis, ex usu ipso ad bonorum auctorum imitationem instituto, incorrupta hauriatur Latinitas. De modo, quo praecepta Grammatica inculcanda sunt, legatur LVD. VIVES *Libro de tradendis disciplin. L. III. p. 477.* Brevissima Grammatica mihi erit optima, et vel illa, quam BOXHORNIVS in usum reginae Christinae collegit, sufficere primum poterit, vel quaecumque alia, ut CELLARII et BüTNERI, quae Germanica lingua conscriptae sunt.

§. V.

Ceterum Grammaticorum scriptorum tam antiquorum, quam recentiorum rudes esse non debemus. Nam ad hos tanquam oracula confugiendum est, ubi aliqua in Latina lingua minus usitata occurrunt, et de quibus consuli Grammatici debent. Omne Grammaticorum studium, ut iam dixi, ipsa lingua posterius est, ac florente iam Latina lingua, in illud incubuerunt praestantissimi quique in republica Romana viri. Ipse IVLIVS CAESAR quantus Imperator! quantum nomen! ad Grammatica se demittere studia non erubuit, (o) scriptis *de Ana-*

(o) *Scriptis de Analogia)* Hos ipsos illos *de re-*
rum

Analogia libris, postquam VARRO, Romanorum doctissimus, primas ea in doctrina lineas duxisset. Quo vel solo argumento patet, linguam posse perfectissimam esse sine Grammatices subsidio et etiamnum ita disci posse, ut olim CICERONIS tempore, quo nemo Grammatices causa caput afflixit. Non spernendos esse dico Grammaticos, sed id tantum volo, impedimento esse linguae Latinae discendae nimium

tione Latine loquendi libros esse puto, quorum CICERO meminit *Bruto c. LXXIII. p. 178. T. I. Opp.* Equidem servati fuissent hi CAESARIS libri vellem. At, si ex iis iudicandum est, quae CARISIVS *Instit. Grammat. Lib. I. p. 69. 214. ed. Putschii* ex illis castigavit et GELLIVS etiam *Noct. Attic. Lib. XIX. c. VIII. p. m. 616.* protulit, mediocrem, amissis illis, Latinum sermonem iacturam fecisse, arbitror. Scilicet in rationibus vocum et loquutionum reddendis et aliis eius generis subtilitatibus etymologicis elaboravit Imperator maximus, quas recte indicavit MORHOFIVS fundamento destitutas esse. Falluntur certe, nisi me omnia fallunt, qui certis regulis Latinum sermonem dimetiri et ad analogiam quamdam vocabula eius et dicendi modos revocare student. Crevit enim ille sermo sensim in populo barbaro et humanitatis experte, quem linguam sibi ad certas rationis regulas confinxisse, prorsus incredibile est.

nimium et superstitiosum Grammatices studium, quod ad summam perfectionem deductum viros et iam in dicendo perfectos fatigabit, causas linguae altius rimaturos, postquam usu ipso linguam didicerunt. (p) Mera est insania, e Grammaticis solis sine auctorum usu continuo hic sapere velle, et perpetuum impedimentum. Animus enim communibus illis notionibus et philosophicis ab usu ipso avocatur, et semper quasi pendulus fluctuabit, cum ille, qui semel optimas loquendi rationes e lectione et usu auctorum adscivit, postea sibi ipsi quanto est ingeniosior tanto plures regulas formabit. Talis philosophiam aliquam de lingua, quam ipse ignorat, sibi comparabit, eamque ad usum numquam applicabit, in quo solo tamen omnis linguae vis consistit.

§. VI.

In Grammaticis antiquis Latinis principatum

(p) *Mera est insania)* Legatur hic elegantissima viri Latine doctissimi, IAC. FACCIOLATI Oratio, *qua probat linguam Latinam ex Grammaticis addisci non posse*, quam Celeb. WALCHIVS *Praefatione* sua ornatam formis iterum describi curavit. *Lips. 1714. in 8.* Alios auctores addant alii, quorum id negotium est.

patum tenet (q) M. TERENTIVS VARRO, qui mortuus A. V. C. 725. Scripsit is *Libros XXIV. de lingua Latina*, e quibus nonnulli ad nos pervenerunt, reliqui magno orbis litterati damno interierunt. CICERO magni illum facit et veteres reliqui: at multi tamen sunt in eius scriptis errores, ut in plerisque omnibus Grammaticis. Post illum VERRIVS FLACCVS sub Augusto et Tiberio vixit, qui *viginti libros de significatione verborum* scripsit: quod opus ab antiquis PLINIO, GELLIO, CHARISIO, laudatur. FESTVS POMPEIVS deinde sub Imperatoribus Christianis vixit, qui VERRIVM FLACCVM in epitomen contraxit. Eum SCALIGER, qui maximi hominem fecit, cum Commentario edidit, utilesque notas adiecit. (r) Insecuti sunt hos alii Grammatici, quorum libri uno volumine congesti sunt

(q) *M. Terentius Varro)* Legatur omnino celeb. FABRICIVS *Bibl. Lat. Lib. I. cap. VII.*

(r) *Insecuti sunt)* De veteribus Grammaticis Latinis nemo diligentius egit et occuratius, quam FABRICIVS *Biblioth. Latinae Lib. IV. c. VI. VII.* IO. IONSIVS passim Libro *de Scriptor. Histor. Philos. L. II. p. 170. L. III. p. 19.* ed. novae librum *de Grammaticis* promittit, quem fato eruditissimi hominis intercidisse, dolendum est.

sunt ab ELIA PVTSCHIO *Hanov.* 1605. *in* 4. Publicavit et DION. GODOFREDVS *auctores de Latina lingua* post ELIAM PVTSCHIVM. Hi ut veteres et fragmenta antiquorum Grammaticorum observari prae ceteris debent: quanquam multa sunt in illis, quae censuram mereantur et a recentioribus Grammaticis, praecipue Hispanis, sub virgulam censoriam vocata sunt. Nulla enim gens hac in re Hispanorum industriam superavit, adeo, ut quicquid in Grammaticis singulari cura excogitatum ac pensitatum fuit, illorum curae unice debeatur.

§. VII.

Inter recentiores primo loco nominari meretur IVLIVS CAESAR SCALIGER, qui opus eruditissimum *de caussis linguae Latinae* scripsit, quo multa complexus est, quae ad interiorem artem Grammaticam pertinent, plura daturus, si (s) vastissimos *Originum suarum libros* in lucem edidisset. Illi vero ob vastitatem edi non potuerunt, et ipse quidem vivus de editione eorum desperavit, cum ultra centum et viginti libros de eo argumento compleverit. Inter

(s) *Vastissimos Originum)* vid. AEGID. MENAGIVS *Dedic.* ad *Origines* suas *Linguae Gallicae.*

ter ανεκδοτα igitur et desiderata illi debent reponi, ex quibus, si prodiissent, res Grammatica multum accipere lucis potuisset. Erat enim ille in his studiis φιλοσοφικοτατος, et quanquam plus diligentiae operaeque impendit in res Philosophicas, tamen vel ex unico illo *de caussis linguae Latinae* libro patet, eum secreta linguae huius ad fundum usque penetrasse ac filio suo IOSEPHO longe in his studiis accuratiorem fuisse, secus ac vulgo creditur. Erat ipsi ingenium perspicacissimum, igneum, et summa iudicii vi omnia perrumpens, quod in quamcumque etiam partem illud versaret, eximium semper erat et filii ingenio, meo quidem iudicio, longe anteferendum. Sed obstitit nescio quae fatorum iniuria viri huius conatibus, laborque eius partim temporum incuria suppressus, partim a domesticis ei subreptus, intercidit. Quod a filio eius in hoc genere superest, id in coniectaneis eius super VARRONEM et FESTVM extat.

§. VIII.

A SCALIGERIS ad Hispanos deveniendum est, quos in hac arte excelluisse, libri eorum docent. Ut enim illa gens ad minutias et subtilitates scrutandas prae ceteris apta est et quovis in studio, ad quod se applicuit, summas tenuit: ita in Grammaticis quoque prae ceteris multa vidit, quae

alii

alii non animadverterunt. Primae in his debentur ANTON. DE LEBRIXA, vulgo NEBRISSENSI dicto, qui mortuus est A. 1522. Ipse nomen ANTONII mutavit in nomen AELII, (t) nescio qua superstitione Romanae antiquitatis adductus; sed tamen et ANTONII nomen retinuit, ut vulgo vocaretur AELIVS ANTON. NEBRISSENSIS. Primus hic Grammaticos scriptores a barbarie vindicavit, veteresque Grammaticos, qui tum in scholis regnabant, omnes de gradu deiecit, faventibus illi, eiusque conatus iuvantibus Italis. Multi eius tempore erant Grammatici, in Germania MELANTHON, in Belgio LITHOCOMVS, in Flandria SIMON VERREPEIVS, in Anglia LILIVS, in Lusitania EMAN. ALVAREZ, in Gallia DESPAVTERIVS: verum omnes tum temporis ANTONIO NEBRISSENSI pal-

(t) *Nescio qua superstitione)* Quae aevo illo, quo Latini sermonis cultura instaurabatur, admodum familiaris et usitata erat. Ita MAIORAGIVS, cui nomen ANTONIVS MARIA erat, MARCVM ANTONIVM sese deinde nominabit. Quod factum peculiari oratione purgare debuit. vid. *Oratio eius X. p. 195.* Scilicet turpe et minus decorum videbatur, eos, qui se totos Latino sermoni poliendo tradiderant, alio quam Latino nomine salutari.

palmam detulerunt. *Grammaticam* eius postea IO. LVDOV. de la CERDA recoxit, multaque de ſuo addidit, nova aliqua methodo, novisque commentariis artem illam proponens. Idem ille NEBRISSENSIS poſtea multos alios libros et amplos commentarios conſignavit, quibus additae ſunt diverſae obſervationes et correctiones MARTINI IVARI, GARSII de MATAMORA, CHRISTOPH. ESCOBAR, FRANC. RVIZII, RAYMVNDI PALAZIN, ANDR. VAVRENTINI, aliorumque, qui aliquam ſibi famam eo ſaeculo in Grammaticis acquiſiverunt. Videndus eſt de hoc viro NICOL. ANTONIVS in *Biblioth. Hiſpan. p.104.* ubi et vita eius et ſcripta, quae plurima ſunt, ordine exhibentur. Fuerunt ei multi conflictus cum ceteris ſui temporis Grammaticis. Inſurrexit adverſus illum LVDOV. VIVES, aetate et iudicio tum temporis praecox, ſed is poſtea NEBRISSENSIS ſtudium vehementer probavit. Acceſſit poſtea FERDIN. NONII PINTIANI, ALPHONSIque ALVAREZII commendatio inſtituti huius Grammatici, novaeque artis, cum ſcilicet poſt viginti annos integros alteram editionem locupletiorem et ornatiorem emitteret. NIC. ANTONIVS ſylvam elogiorum eius integram congeſſit, in

in qua, quae ad virtutes eius pertinent, legi possunt. Neque enim Grammatica tantum scripsit, sed et varia philologica, poëtica, historica, iuridica, medica, et tandem sacra, ut mirum sit, ab uno viro, cui praecipue Grammatices cura incumbebat, adeo varia scribi potuisse. Prodierunt *Introductiones* eius *in Latinam Grammaticam* sive *de sermone Latino Libri* cum commentariis eius, postea cum largioribus hypomnematis multisque aliis cum ipsius, tum aliorum de ea re operibus et additamentis secundum Cantabricum et Salmanticense prototypum, acri MARTINI IVARRAE, *Cantabri*, (ut titulus prae se fert) lima cruciatum *Barcinonae apud Ioh. Rosenback 1523. fol.* et cum commentariis doctorum virorum *Compluti 1524.* et *Lugduni apud Iuntam 1541.* CHRISTOPH. nempe SCOBARIS, FRANC. RVIZII, RAYMVNDI PALASINI, ANDR. VAVRENTINI, HIERON. SANGVINI, accessionibusque non paucis, maxime ex BAPTISTA MANTVANO, aliisque auctoribus, quibus etiam HILARII BERTVPHII scholia sunt appensa. Hunc titulum et haec contenta editio Lugdunensis habet. *Tolosae* eadem *introductio* edita est per GVIDON. BOVDEVILLE *1545. fol.* Animadvertendum hic vero est, quod iam ante monui, artem

hanc

hanc Grammaticam, quae ab ANTONIO NEBRISSENSI nomen habet, a IO. LVD. de la CERDA aliter efformatam deinde esse, cuius ipse, ut proprii operis, meminit in *Commentariis Virgilianis.* Id ignorasse videtur VOSSIVS, aliique Grammatici, qui ANTONIO hanc artem tribuunt, quae tamen ab Antonianis praeceptionibus multum differt. vid. FRANC. SANCTIVS in *Prologo Minervae.* Scripsit ANTONIVS postea *Repetitiones* aliquot *de rebus Grammaticis*, ut vocat, quibus multa eiusdem artis ulterius explanavit. Inter illas est *repetitio prima de vi et potestate litterarum Salmanticae 1507.* edita, quod opusculum, ut SCOBARIVS ad auctorem scribit, non Siculi modo, sed etiam Itali tanti faciunt, ut Latium apud Hispanos renasci, cum id viderent, persancte testarentur. *Repetitio II. de corruptis litterarum vocibus. Repetitio IX. de accentu Latino aut Latinitate donato* Salmanticae habita III. Id. Iul. A. 1513. et *Hispali* edita *eodem anno in 4. Repetitio X. de peregrinarum dictionum accentu.* Praeter haec scripsit quoque *de falsa pronuntiatione, epitomen differentiarum* ex elegantiis Vallae, *Orthographiam Latinam, Barbarismum Donati* cum *expositione de punctis*, quibus orationis clausulae distinguuntur, *de constructione octo partium orationis,*

tionis, quae forte pars est *Introductionum in Grammaticam; nomina numeralia, dividua, ordinalia et adverbia numerandi:* Et haec ad linguam Latinam pertinent. Ceterum et *de litteris et declinatione Graeca* et *de literis Hebraicis* scripsit. Item *Institutiones Graecae linguae, Lexicon* sive *parvum vocabularium, Dictionarium Latino-Hispanicum et Hispanico-Latinum.* Scripsit quoque Hispanice *Grammaticam linguae Castellanae*, item *artem Latinae linguae*, iussu Reginae, quae adeo profecit e lectione huius libri per unius anni spatium, ut non solum Latinos oratores intelligere, sed etiam libros interpretari potuerit. Scripsit et multa alia philologica *de mensuris, de ponderibus, de numeris, de asse, de digitorum supputatione, Cosmographiam, artis Rhetoricae compendiosam comptationem*, ex Aristotele, Cicerone et Quintiliano, *ἐκφράσεις in Virgilii Opera, Interpretationes in Persii Satyras, Annotationes in Iuvenalem, in obscuriora loca Plinii, Locos communes de variis rebus, de componendo horologio:* Aliqua etiam poëtica et historica: *de rebus a Ferdinando gestis, de bello Navarrensi.* In Iuridicis scripsit *de Latinis vocabulis iuris civilis et Lexicon iuris civilis contra Accursii errores.* In Medicis *Lexicon artis medicamentariae.* Scripsit porro *Commentarios* varios Philologi-

logicos *in Sedulium, Prudentium, Aratorem, in locos S. Scripturae, in quasdam epistolas Pauli, Petri, Iacobi, varias homilias.* Multa quoque eius operum perierunt, ut *Liber de sestertio Latino, de liberis educandis, de etymologiis verborum.* Haec ab uno illo viro omnia scripta sunt, quibus accesserunt postea aliorum opera Grammatica. CASP. SCIOPPIVS in *Oratione de veteris ac novae Grammaticae Latinae origine, dignitate et usu*, primas partes dedit EMAN. ALVAREZ, qui varia Grammatica scripsit. Extant eius *Institutionis Grammaticae Libri III.* quos postea copiosis commentariis illustravit ANTON. VELLEIVS, ipse quoque Lusitanus, ex quibus alii deinde compendia formarunt. Deinde tam ORLANDVS PESCETIVS quaedam in illis ALVAREZII libris reprehendit, quae *reprehensiones* editae sunt *Monachii 1616.* FERDIN. NVNNEZ de GVZMAN, a patria FERDIN. NONIVS PINTIANVS dictus, auctoritate sua non parum NEBRISSENSIS Grammaticam iuvit; et sunt huius viri multa elegantissima scripta, ut *Annotationes in Senecae Opera, Observationes in Pomponium Melam et Plinium, Proverbia Hispanica*, quae recenset NIC. ANTONIVS in *Bibliotheca Hispan.* LVCIVS MARINEIVS, *Siculus*, hunc NONIVM longe supe-

superiorem NEBRISSENSI iudicavit. Fuere et alii scriptores in gente Hispanica, qui artem Grammaticam NEBRISSENSIS vel commentariis, vel observationibus illustrarunt. Inter eos est ALPHONS. de TORRES, qui *in quartum et quintum Nebrissensis librum commentarios* scripsit, ALPHONSVS GARSIA MATAMORVS, qui in librum quartum pariter scripsit, ANTON. POLVS et multi alii, quos recenset NICOL. ANTONIVS in *Indice Bibl. Hispanicae* subiecto, titulo *de humanioribus disciplinis, Grammatica, Rhetorica*, etc. Eorum, quoniam vel exigua, vel nulla ad nos pervenit notitia, recensioni ut immoremur, operae pretium non est. Unus vero prae reliquis hic nobis non est omittendus FRANC. SANCHEZ sive SANCTIVS, cuius extat eruditissimum opus, quod (u)*Minervae* titulo inscripsit, olim non adeo in

(u) *Minervae titulo)* Multa de hoc opere congessit THOM. CRENIVS *de furibus librariis Diss. I. p. 99. 100.* Si quid reprehendendum in hoc opere, id est, quod vir doctissimus in caussis Latini sermonis investigandis laboriosus fuerit, nec tam usu, quam ratione et analogia linguam metiri voluerit. Quod quanti sit habendum, ex iis manifestum est, quae paullo ante monita sunt. Quare non mirum est, quod multa in eo notaverint illi, qui-

in vulgus notum: nam GERH. IO. VOSSIVS illo feliciter in *arte* sua *Grammatica* usus est, dissimulato auctoris nomine. Postea SCIOPPIVS in Italia illud edidit cum notis, qui plurimum illi auctori debet, eumque per omnia in *Grammatica* sua *Philosophica* sequitur. Deinceps liber hic in Belgio editus est, curante MARQV. GVDIO. Novissime *Franeckera Frisiorum* prodiit, cum notis doctissimis (x) PERIZONII, qui pluribus aliis exemplis, novisque observationibus doctrinam Sanctianam illustravit. Postquam Hispani principes Gram-

mati-

quibus usus et lectio auctorum pro norma est, non rationis praecepta. Ut nonnullos alios praeteream, RICHARDVS IOHNSONVS in Anglia non ita pridem et huic operi et SCIOPPII, VOSSII, aliorumque laboribus Grammaticis innumerabiles exprobravit naevos in *Commentariis Grammaticis* Anglice *Londini 1706. in 8.* editis. vid. *Bibl. Angloise Tom. I. P. II. p. 296. s.* Conf. BAKERVS *Traité de l'incertitude des sciences cap. III. p. 23. s.* qui SANCTII fundamentum labefactare studet. AVGVSTINI MARIAE de MONTE *refutationem Minervae Sanctianae* cum eiusdem *Ludimagistro seu Grammaticorum Apologia* nuper V. C. IO. ERH. KAPPIVS in Germania formis iterum curavit describi. *Lips. 1723. in 8.*

(x) *Perizonii*) Huius editio *Minervae Sanctii* iam quartum prodiit *Lugd. Batav. 1714. in 8.*

maticam excoluerunt, alii postea novis observationibus eam amplificarunt, praecipue GERH. IO. VOSSIVS, cuius extat vastum opus artis Grammaticae, quod *Aristarchum* inscripsit et integris quadraginta annis elaboravit. In Gallis fuit (y) EDMVND. RICHERIVS, qui *de arte figurarum*, Grammaticarum scilicet, nam ceteras non attigit, libellum elegantem scripsit et praeter illum *Grammaticam obstetriciam*, quam ego non vidi. Singularium ceterum observationum in rebus Grammaticis infinita seges est, et nunquam copia illi deerit, qui auctores classicos legerit. Semper enim novi aliquid observabit, vel in constructione, vel in vi et significatione vocum, particularum, et similia plurima. Hinc in THOM. BANGII *Observationibus Philologicis* multa deprehendas, quae frustra vel in ipsius VOSSII diffuso opere quaesiveris. Post omnes denique (z) LAN-

 CEL-

(y) *Edm. Richerius)* Liber eius *de arte figurarum et caussis eloquentiae* prodiit Paris. 1605. in 8. *Grammatica* eius *obstetricia*, quae hic memoratur, haud dubie nihil est aliud, quam *Obstetrix* eius *animorum* satis nota: qui liber tamen non est Grammaticus.

(z) *Lancellotus)* De CLAVDIO LANCELLOTO, Benedictinae familiae monacho, auctore libelli Grammatici, qui vulgo vocatur: *La Methode de Port-Royal* et saepissime editus est, vid.

CELLOTVS, Gallus, Gallica lingua scripsit: *Nouvelle Methode pour apprendre facilement la langue Latine*, quo ille libro post VOSSIVM, SANCTIVM, ceterosque Grammaticos mira brevitate multa complexus est. Is liber magnae auctoritatis per universam Galliam, eamque ob causam aestimandus, quod post ceteros omnes multa cum cura et diligentia doctrinam Grammaticam tractaverit. (a) Repre-

vid. *Vigneul des Marvilles Melanges d'Histoire et de litter.* p. 125. et BAYLE *Dictionaire Tom. II. p. 1651.* nec non BERNARDVS loco quodam, quem memoria nunc non suggerit, *des Nouvelles de la Republ. des Lettr.* Vir doctissimus, IO. ERH. KAPPIVS, *Notis ad Vavassorem de usu verborum quorund. p. 481.* facili memoriae lapsu eum IO. PAVL. LANCELLOTVM perperam vocat. Confunditur enim sic cum IO. PAVLO LANCELLOTO, Iure Consulto Perusino, cuius *Instit. Iuris Canonici*, multorum illustratae sunt commentariis, nec levi penduntur pretio.

(a) *Reprehendit*) Non is solus id fecit, sed et alii. DORNMEYERVM nominat in *Diss. de vitioso Ciceronis imitatore* Cl. KAPPIVS *loc. indic.* p. 481. Ego RICH. IOHNSONVM addo, qui in *Comm. Grammaticis* Anglice exaratis *P. I.* multa quidem in hac laudat Grammatica, sed non pauca etiam carpit. *Vossii*, inquit, *vestigia auctor premit, cuius errores omnes describit, at quae omissa sunt ab eo, raro supplet.*

prehendit tamen eum in multis VAVASSOR libello *de vi et usu verborum quorumdam*, qui Poësi eius additur.

§. IX.

Fuere et alii, qui Grammaticae multa praecepta dedere, quos iam praetermittimus, quoniam in arte ea nil praecipui fecerunt, sed alios antesignanos secuti sunt. Inter quos fuere LAVR. VALLA A. 1457. mortuus, cuius extat opus *de elegantiis linguae Latinae.* IO. DESPAVTERIVS sive van PAVTEREN, qui mortuus est A. 1520. vel ut alii A. 1514. quem VALER. ANDREAS in *Bibl. Belgica principem Grammaticorum* vocat *sui seculi*, et VOSSIVS *de scientiis mathematicis cap. XLI. §. 4. p. 230.* appellat *omnium in arte Grammatica suo tempore perspicacissimum.* ROL. quoque MARESIVS *Epist. Philol. Lib. I. ep. XVI. opus* hoc nominat *hominis eruditissimi, sed quod prolixitate sua nimis taediosum sit.* LANCELLOTVS *Novae methodi p. 61.* hunc etiam auctorem commendat. Fuit quidem ADOLPH. MEKERILIVS et NANSIVS et SEBAST. NOVIMOLA et GABRIEL de BRAV, dictus BRATEOLVS, qui ex eo epitomen fecere: (b) verum in Belgio SIMON

(b) *Verum in Belgio)* In Gallia magis celebrari quo-

VEREPAEVS ceteris praefertur, qui in ludis litterariis praecipue adhibetur. Inter Anglos fuit (c) THOM. LINACER, vir in hac arte non indoctus, qui *librum de constructione Latinae linguae* scripsit, multum ab ERASMO et BVDDEO laudatum. Statuit et huic operi pretium aliquod BVCHANANVS, qui *Grammaticae* eius *Anglicae* rudimenta in linguam Latinam convertit. ERASMVS in *Ciceroniano* vocat eum *hominem profundae scientiae et universalis, sed qui magis imitetur Quintilianum, quam Ciceronem, urbanitatis vero Romanae non adeo gnarus sit, quique amet potius stylum brevem et concisum ad imitationem Aristotelis et Quintilia-*

quondam solebat *Epitome Grammat. Latinae*, quam IO. PELISSONIVS ex DESPAVTERIO confecit, et *Lugduni* 1530. *in* 16. primum edidit. Nunc apud plerosque alii vigent libri.

(c) *Thom. Linacer)* De ipso LINACRO BAYLIVS *Diction. T. II. p.* 1718. consuli potest. De *libris* vero eius *sex de emendata structura Latini sermonis* THOM. CRENIVS *Exerc. III. de libris scriptor. optimis* p. 50. multa collegit iudicia. Recognovit eos libros IOA. CAMERARIVS; *cum cuius recognitionibus, eiusdem libello de arte Grammatica et figuris dictionum, nec non Casp. Landsfidelii annotationibus* editi sunt *Lips.* 1580. *in* 8.

tiliani, *quam Oratorium et declamatorium.* Scripsit et IO. LVD. VIVES nonnulla, quae ad rem Grammaticam pertinent, ut *Exercitia linguae Latinae et Dialogos.* SANCTIVS vero parum aeque de eo iudicat. LVDOV. IO. SCOPPA, Neapolitanus, scripsit *Epitomen particularum* et *Tractatum de Orthographia.* Sed parum ille aestimatur a nonnullis, praecipue a BARTHIO *Comm. in Statium p.200.* qui illum vocat *exiguum ludimagistrum.* QVINT. MARIVS CORRADVS *de copia Latinae linguae* librum scripsit, non quidem spernendum, sed in quo multa occurrunt, quae ex ingenio eius sunt conficta: nimis enim indulget sibi ille in phrasi Latina (d) ex analogia formanda. GVIL. LILIVS, Anglus, sub HENRICO VIII. humaniorum litterarum in Britannia magnus instaurator fuit. (e) Scripsit *Syntaxin* et *Grammaticam.* Grammatica

(d) *Ex analogia)* Quid liceat, quid non liceat, circa id, quod *analogiam* vocat, peculiari libello *de analogia seu arte linguae Latinae* exposuit GVIL. BAXTERVS *Lond. 1679. in 8.* edito.

(e) *Scripsit Syntaxin)* LILII *Grammatica* adhuc in scholis Britanniae principatum tenet. At non nimis curate loquuntur illi; qui ad LILIVM, tamquam auctorem, eam unice referunt, qui, dum vixit, eam numquam sibi soli attri-

matica eius multis augmentis et variis obſervationibus amplificata eſt. Auctor fuit illorum verſuum, qui vulgo habentur in Grammaticis, quibus nomina et verba varii generis et ſignificationis comprehenduntur. Credebat enim hoc pacto memoriam iuvari poſſe. CORNEL. CROCVS e Societ. Ieſu mortuus A. 1550. *Grammaticam* conſcripſit eum in finem, ut haereticorum, quos vocat, libros Grammaticos e ſcholis pelleret, MELANTHONIS praecipue, cuius *Grammatica* in ludis literariis publice praelegebatur. Scripſit et *formulas loquendi* et *colloquia puerilia*, ut ERASMI *colloquia* e ſcholis removeret. Dedit et *Dictionarium et farraginem ſordidorum verborum vel linam barbariei*. Multi aeſtimatus ille fuit a popularibus ſuis. HADR. IVNIVS *in Batavia* vehementer eum laudat, aitque, *Terentium et Ciceronem toto ſtylo ſuo expreſſiſſe*. ANDR. FRVSIVS, pariter Ieſuita, mortuus A. 1556. *de copia verborum*

attribuit. *Rudimenta* eius ſunt a celeberrimo ERASMI amico COLETO: Praefationem *de uſu Grammatices* WOLSEIVS, aulae Romanae purpuratus, compoſuit: Syntaxin ERASMVS aut caſtigavit, aut congeſſit plane. LILII fortaſſis minimae in eo opere partes fuerunt. vid. BAKERVS *de eo quod incertum in ſcientiis cap. III. p. 20.* ed. Gallicae.

borum et rerum librum ſcripſit et *Epitomen Syntaxeos Latinae*, quos libros laudat ALEGAMBE in *Bibl. Ieſuitica*, VAVASSOR vero reprehendit *Libro de Epigrammate c. II. p. 255.* BARTHOL. BARRIENTO, Hiſpanus, *Grammaticam, Syntaxin, limam barbariei, librum de Synonymis Latinis* edidit: ſed ANDR. SCHOTTVS in *Biblioth.* ſua *Hiſpanica* omnia eius opera contemnit, in quibus neque puritas linguae Latinae ſit, neque quicquam aliud, quod prodeſſe lectoribus poſſit. PETR. SIMON a BRIEL, Hiſpanus, A. 1580. *Grammaticam Latinam et Graecam* ſcripſit, quam NIC. ANTONIVS in *Bibl. Hiſpanica* vehementer commendat. At EMMAN. ALVAREZ, cuius iam ſupra mentionem fecimus, poſt NEBRISSENSEM primo loco habendus eſt, cui VOSSIVS, et poſt VOSSIVM SCIOPPIVS primas defert in emendatione errorum Grammaticorum, quos neglexere priores, NEBRISSENSIS, aliique, qui poſt eum ſcripſere. Eius ſcripta commentariis multi poſtea ornarunt, aut epitomas ex iis confecere. Inter Germanos NICOD. FRISCHLINVS laudari debet. In multis enim aliorum errores notavit, acerbiori ſtylo adhibito: MART. (f) in

S 5 primis

(f) *In primis Cruſium)* De CRVSII et FRISCH-

primis CRVSIVM, Prof. Tübingensem, virum doctum et in Graeca lingua, praecipue vulgari, exercitatissimum acerbissimis scriptis exagitavit. Omnes postea, ut iam supra diximus, superavit FRANC. SANCTIVS, Brocensis, quem *hominem* vocat *divinum* SCIOPPIVS et *Herculem* *κοπροφόρον*, qui sordida Grammaticorum stabula repurgarit. Sunt qui omnes Grammaticos ante illum pro pueris habent. In Syntaxi et sermonis iunctura regulas ille indagavit mire ingeniosas et faciles. Scripsit et multa alia opera et inter alia *artem dicendi*, quae agit de constructione et partibus orationis: Librum *de modo interpretandi auctores*, librum *de paradoxis*, et alios, quos recenset NICOL. ANTONIVS *Bibl. Hispan. T. I. p. 362.* Extant et eius *Institutiones Grammaticae Latinae* perbreves, quas SCIOPPIVS *omnium perfectissimas* vocat et e quibus omnem suam sapientiam hausit. Omnia enim quae SCIOPPIVS in Grammaticis scripsit FRANC. SANCTIO debet praecipue, adeo ut accusatus fuerit a nonnullis, quasi

FRISCHLINI litibus Grammaticis vid. SAM. WERENFELSIVS *de Logomachiis erudit.* Cap. I. §. V. p. 454. 455. Opp. et Vir egregius, IO. GEOR. WALCHIVS *de bellis Grammat. Miscellan. Lips. Tom. I. p. 52. 53.*

quasi supprimere voluisset scripta SANCTII ad gloriam suam amplificandam. (g) *Grammaticam* suam vocat SCIOPPIVS *Philosophicam*, eam ob caussam, quod philosophica quadam ratione totam artem instituerit. Scripsit etiam *paradoxa litteraria, epistolas et consultationes de lingua Latina, Mercurium quatuor linguarum* adhuc ineditum, qui hodie adservatur apud Iureconsultum quendam Patavinum. Ceterum SANCTII scripta in hunc usque diem pleraque latent, neque ad nos pervenerunt. Nam et sermone vernaculo Hispanico scripsit librum, cui Titulus: *Arte para sebes latia*, qui *Salmanticae* 1595. 8. prodiit, ut Latinae illae institutiones. *Ib.* 1587. 8. *Minerva* eius, quod diximus, cum utilissimis et doctissimis IAC. PERIZONII Commentariis prodiit.

§. X.

Et hi quidem, quos enarravi, praecipui fuere, tam superiorum, quam nostri seculi Grammatici, e quorum collatione mutua diligenter instituta multae peti possunt ob-

I ser-

(g) *Grammaticam suam)* Ea saepius et postremo, nisi fallor, cum ipsius SCIOPPII annotationibus et observationibus edita est, cura clarissimi Viri, IO. CHRIST. HERZOGII. *Augustae Vindel.* 1712. *in* 8.

ſervationes ratione ſtructurae vocum, variaeque ſyntaxeos. Sed in his omnibus ita verſandum eſt, ut ea, quae ab aliis obſervata ſunt, in numerato et ad certas claſſes diſpoſita habeamus, cetera vero, quae a Grammaticis praetermiſſa ſunt, ipſi poſtea notemus et regulis quaſi ſuis ſubordinemus, vel ſi qua nova ſingularia deprehendimus, ſeorſim colligamus, atque ita rem Grammaticam quomodocumque auctiorem faciamus. Nunquam obſervandi materia et occaſio deerit, ſemperque occurrent quaedam ſingularia, de quibus priores Grammatici non cogitarunt. Nobis hoc quaſi legis inſtar propoſitum erit, ut a veterum auctorum dictione toti pendeamus et quicquid ab illis in iunctura vocum obſervatum fuit, ad noſtros uſus transferamus. In his quo diligentior quis fuerit, eo accuratiores loquendi rationes ipſe ſequetur et continuo ſtili exercitio, qui optimus eſt magiſter, omnia exprimet. Non vero leve, ut quis forte exiſtimaverit, in his momentum ſitum eſt. Nam vel minutiſſimae particulae pro ratione iuncturae novum ſaepe orationi habitum circumponunt.

§. XI.

Minutius haec perſequi nobis non licet: et lectio ipſa illa ſuppeditabit, de quibus vix quicquam alicui in mentem venire

poſſit.

possit. Quare totam hanc Dissertationem, de puritate sermonis Latini, quatenus ab externa sermonis facie dependet, abrumpimus, et ad illa, quae purum sermonem per se formant, accedimus, illa scilicet, quae ad interiora orationis praecipue pertinent, neque tam in verbis, quam in sententia consistunt. Duplici enim ratione puritas orationis consideratur, (1) quatenus in verbis et decenti eorum iunctura consistit, (2) quatenus διανοια accedit et sensus verborum recte commodeque exprimuntur: habet enim expressio illa aliquid, quod genio illi puritatis conveniat. Verba enim propria et commoda sensus proprios et commodos exponunt: sensus intricati, perplexi, aenigmatici verbis etiam propriis, selectissimis, civilibus, nebulas et tenebras offundunt, ideoque amica debet esse inter verba et sententiam conspiratio. Sed hodie homines quidam inepti mire se ingeniosos et solertes existimant, si inconditarum sententiarum farragine nihil significantium et precariarum, quae nec enthymematicae sunt, nec epilogum enthymematis praestant, orationem incrustaverint.

CAPVT XVI.

De ſententia puri ſermonis.

§. I.

PRocedimus ergo ad alteram huius commentationis partem, quae de ſententia puri ſermonis agit. Quemadmodum corpus et anima unum hominem conſtituunt, ita *verba et ſententia* unam orationem. De verbis iam pluribus egimus. Nunc ſermonis puritatem, quatenus illa in ſententia conſiſtit et in expreſſionibus ſenſuum formalibus, qui verbis mentis noſtrae cooperatione imponuntur, conſiderabimus.

§. II.

Subeſſe ſemper verbis ſententia debet: niſi enim illa verbis ſit recondita, futilis et inanis erit loquacitas. Sed ita tamen verbis involvenda eſt, ut ab ingenio legentis potius colligatur, quam diſertis verbis ponatur. Quare raro ad ſententias et univerſalia effata procedendum eſt, niſi quid in oratione occurrat, quod ſingularem aliquam επίκρισιν mereatur et in quo ſententia requiratur, cuius parciſſimum uſum videmus apud CICERONEM, VIRGILIVM, ſimileſque ſcriptores optimae auctoritatis; frequentiorem vero apud SENECAM,

NECAM, TACITVM, ceterosque ſequioris aevi ſcriptores, hac ſententiarum affectatione prae ceteris ſe efferentes. Unde poſtea hic mos velut morbus epidemius in linguam Latinam tranſiit, ut quivis ingenium non aliter ſe oſtentare poſſe putaret, niſi in ſententiis pronuntiandis operoſum ſe praeſtitiſſet.

§. III.

(h) Verum ut in verbis ſine forma et modo adhibitis magna affectationis pars eſt, cum ſingularia aut ab uſu longius remota ſermoni noſtro immiſcemus: ita longe maior in ſententiarum conglobatione affectatio eſt, quae ſenſus confundit, inordina-

(h) *Verum ut in verbis)* Nil repugno, quin illi vitioſae poſtulentur eloquentiae, qui ſententias affectant et ubivis ſapientiam oſtentandi occaſionem quaerunt. Neque tamen ex altera parte regulam hanc univerſe probare poſſum: *Qui crebris utitur ſententiis, is ineptus eſt.* Sic nempe mihi perſuaſi, conſilium ſcriptoris et orationis genus hic maxime ſpectandum eſſe. Is, exempli cauſſa, qui hominum animos ad probitatem formare vult et prudentiam, dum Hiſtoriam ſcribit, is qui docet et erudit, et alii, ex inſtituti rationibus ſententias multiplicare debent. Noſter hic de eo in primis, quod in civili licet oratione, loquitur.

dinatos conceptus animo repraeſentat, ut omnia quaſi tumultuaria et temulenta videantur, vel miſera et obſcura diligentia conquiſita vel inepta ratiocinatione inter ſe perplexa.

§. IV.

Quoniam vero ſententiae conſiderari debent, velut rationes enthymematum, vel ut eorum epilogus, id eſt, ut confectarium aliquod, quod fluat e quibusdam praemiſſis, quemadmodum ARISTOTELES recte et prudenter iudicat et poſt eum CICERO et QVINTILIANVS, quilibet videt, nullum eſſe ſententiis ſeu effatis univerſalibus locum, niſi vel enthymema ex iis formetur, vel tanquam concluſio argumento ſubiiciatur. Id vero non ſemper fieri debere, ratio dictitat, ſed tum demum, cum ſingularis quaedam enthymemati vis ineſt et illud prae ceteris urgetur.

§. V.

Quod ſi alio modo ſententiae adhibeantur et praeter neceſſitatem cumulentur, nullus eſt earum inter ſe nexus, ſed ut crepitacula quaedam et appluſtria ſermoni appenduntur, nullo uſui futurae, niſi ut inaniter tinniant et plebeio auditori inſidias ſtruant, qui ineptiis interdum capi ſolet. In oratione vero ſeria nullus earum

uſus

uſus eſt, ſed quo intelligentiores ſunt auditores, eo magis inficetum oratorem averſabuntur.

§. VI.

Haec quae dixi, de ſententiis apertis intelligenda ſunt, puro et perſpicuo ſermone prolatis, non de ſententioſis conceptibus, qui verbis abſcondi ſolent et interdum una vel altera phraſi aut epitheto comprehenduntur, quorum in omni ſermone, etiam copioſo et circumducto, locus eſſe poteſt et debet, ut in CICERONIS orationibus et quibusvis etiam formulis vel oratoriis, vel epiſtolaribus ſententiae tales continentur. Quaevis enim formula ſententiam aliquam vel ethicam, vel patheticam quaſi pro fundamento habet. In Hiſtoria quoque LIVIVS, etſi illo longe ſententioſior eſſe videatur TACITVS, tamen in ipſa circumſtantiarum diligenti enarratione ea immiſcet, unde facile prudens lector ſententias ſibi formet, non vero diſertis verbis ponit, aut eas conglobando oſtentationi inſervit: quod Hiſtorico omnino fugiendum eſt. Satis enim illae per ſe patent, ſi ipſum Hiſtoriae filum recte ductum fuit, et ſcriptorem omni ſuſpicione perverſae interpretationis aut cavillationis liberant, quod vitium in TACITO dudum viri docti notarunt. Ne-

que temere negari potest, eum ex suo ingenio versutiores et magis vafros facere homines, quam re vera fuerunt, quo sagax ipse coniector videretur.

§. VII.

In his sententiosis conceptibus, qui verborum habitu vestiuntur, maior quidem licentia concedi potest, quam in ipsis sententiis directis. Non enim hiulca et strigosa fit oratio, aut periodus male formatur, sed verba, membra, eorumque nexus inter se cohaerent, noëmatibus his obiter et quasi aliud agendo interspersis. Qua in re si quis moderatione et iudicio utatur, laudem merebitur. Si quis vero etiam in his nimius fuerit, ut sunt qui allegorica et poëtica dictione in sermone soluto lasciviunt, etiam illi bonae orationis habitum corrumpent, ut qui, quod de simiis CLAVDIANVS ait, *claro se deformant amictu.*

§. VIII.

Sententiarum varia sunt genere: prout enim illarum in oratione locus est, ita varie institui debent. Notum est, tum Oratoris, tum Poëtae hoc esse officium, ut doceat, delectet, moveat. Nam λογοις, ἤθοις, παθοις, omnis cuiuscumque orationis habitus constat. Itaque quo magis quis est enthymematicus, id est, argumentis docen-

docentibus, conciliantibus, moventibus utitur, eo magis perſuadet, ut orator, eo concinnius ſcribit, ut poëta, eo magis omnem actionem exprimit imitando, quae imitatio omne orationis et poëſeos artificium abſolvit. Quemadmodum enim pictor naturam imitatur, ſi omnes illos characteres, qui cum actione concurrunt per contemperationem umbrae et lucis expreſſerit: ita Orator et poëta egregie partes ſuas implebit, ſi omne illud, quod in actione decorum, per characteres ipſius rei, morum et affectuum expreſſerit. Illud vero omne in ſententia conſiſtit et in illa διάνοια, quae verbis iungitur. Quoniam vero, ut ſaepe dixi, et per ſe patet, nulla ſapiente viro digna eſt oratio, niſi quae per enthymemata procedat, et aliquid bene ordinatis rationibus concludat, ſive illae populares ſint et ex genere τῶν πιθανῶν, quae ſufficiunt Oratori et poëtae, ſive aliquid demonſtrative et per neceſſariam collectionem concludant, ideo ad orationem recte adhibebuntur. Sunt vero enthymemata nihil aliud, quam ſententiae, etſi non omnia per modum ſententiae prolata, ideoque, ut ante dixi, omnes ſententiae ad ſeriem enthymematum ordinandae ſunt, ſive illae ſint enthymematum principia, ſive concluſiones. Niſi enim

alterutrum horum praestiterint, ineptae et frigidae sunt.

§. IX.

Exemplis res clarior fiet; ut quando dicitur: *Facilis iactura sepulcri*, sententia haec, quae principium dat enthymemati. Sic enim colligere nobis licet: Si facilis iactura sepulcri est, ne sit curae, ubi moriamur. Ita haec sententia! *Heu! nihil invitis fas quenquam fidere divis*, principium ponit enthymemati, si hinc colligas: Ergo frustra spes patriae defendendae suscipietur. Conclusio enthymematis in illo est: *Pulcrumque mori succurrit in armis*, cui sententiae si causa adiungatur, cur ita sit, quia libere vivendum, vel pro libertate fortiter moriendum est, statim erit enthymema.

§. X.

Occurrunt etiam sententiae sive in oratione, sive in carmine, quae enthymematis instar sese habent, quibus vel ratio adiungitur, vel quae sine ratione ponuntur, ut in illo HORATII *Oda III. Lib. II. Aequam memento rebus in arduis servare mentem, non secus ac bonis, ab insolenti temperatam laetitia, moriture Deli.* Sententia hic est: Aequam in rebus arduis et laetis mentem servandam esse; ratio in uno verbo *moriture* absconditur: quia enim moriturus es, ideo aequam mentem servare debes. Eo

modo

modo integrae sententiae et enthymemata uno saepe verbo, epitheto, adverbio absconduntur. Similiter in his: *Quid aeternis minorem consiliis animum fatigas?* enthymema cum ratione absconditur. Sententia est: Ne quis nimium laborem scribendis rebus impendat, cum animus illi sit aeternis consiliis minor; frustra itaque est illa cura, cum nihil in terris sit immortale. Integrum hoc enthymema est, paucis verbis propositum, quod si illustretur, vel similibus, vel aliis rationibus, toti carmini vel orationi materia parata erit. Qui hunc in modum scribunt et loquuntur, et plus gravitatis et decori ostendunt in oratione, quam inepttuli illi vel poëtastri vel declamatores, qui huius rei sensum non habent, aut inanibus et ineptis sententiis praeter modum et rationem se ostentant.

§. XI.

Ponuntur sententiae etiam sine ratione, tum scilicet, cum nulla necessitas rationem subiungere suadet, vel quia vulgo probantur aut perspectae ab omnibus habentur. Ut cum HORATIVS ait: *Omnis enim res, virtus, fama, decus, divina, humanaque, Pulcris divitiis parent, quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam et Rex.* Tales sententiae, quoniam nihil habent praecipui et admirandi, nullius

 egent

egent rationis, ac plurimum afferunt delectationis. Ex his liquet, dubiis de rebus et paradoxis congruenter dici ſententias, idque vel cum propoſita ratione, vel ſine illa. Sententiae praemittitur ratio in illo HORATII: *Creſcentem ſequitur cura pecuniam, maiorumque fames: iure perhorrui late conſpicuum tollere verticem Maecenas, equitum decus.* Et in illo eiusdem: *Damnoſa quid non imminuit dies? aetas parentum peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.* Vice verſa in illis verſibus ſententia praemittitur, ratio ſequitur: *Mixta ſenum et iuvenum denſantur funera, nullum ſaeva caput Proſerpina fugit.*

§. XII.

Sententiae tales debent eſſe, ut univerſe de rebus aliquid pronuntient, ſive quid proponant, ſive quid concludant. Univerſales autem illae ſunt, quibus facile omnes aſſentiuntur. Ut cum VIRGILIVS ait: *Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem:* Quae ſaepe allegoriis et aenigmatibus involvuntur, ut cum HORATIVS ait: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.* Quod ſi ſententiae pronuntiantur, quae vulgaribus et receptis opinionibus adverſantur, tales eſſe convenit, quae perſonis et affectibus accommodari poſſint. Ita enim inſervimus praeſenti negotio et ora-

orationem rebus accommodamus. Haec nempe mensura sententiarum esse debet, ut vel respiciamus communes opiniones hominum, vel personarum conditionem et mores, vel affectus: qui triplex respectus quodammodo cum triplici argumentorum distinctione convenit. Nam communes opiniones ad τὰς λόγους, personarum considerationes ad τὰ ἤθη, affectus ad τὰ πάθη referri possunt.

§. XIII.

Sententiae multa accidunt, quae illam vel venustiorem, vel graviorem efficiunt. Simpliciter prolatae orationem ornant, cum pondus quoddam enthymematibus afferunt, sed vel verbis, vel figuris involutae acrem et concitatam orationem reddunt, lumenque aliquod illi afferunt. Quare si vel ex comparatione trahantur, aut alio relata et aliunde petita contineant, aut interrogationibus, geminationibus verborum, similibusque figuris illustrentur, mirifice orationem extollunt. Et tales quidem sententiae frequentius in oratione poni possunt, quam apertae illae et directae, cum ceterae eo magis lectorem et auditorem afficiant ac delectent, quo sunt rariores, magisque ad opiniones hominum accommodatae. Non levem enim delectationem parit, si lectores vel auditores tales in-

veniant in oratione ſententias, quales ipſi iamdudum animo praeceperunt. Elucet etiam ex eo dicentis habitus, animique et morum character, quo viva quaſi dicentis aut ſcribentis imago ob oculos ſiſtitur. Maiorem hinc vim habent ſententiae pronuntiatae a viris gravibus, ſapientibus, ſenibus, doctoribus, eosque magis decent, quam adoleſcentes nullo rerum uſu exercitatos.

§. XIV.

Diligenter proſpiciendum eſt, ne adhibeantur ſententiae palam falſae aut ineptae, vel obſcurae, vel perplexae, vel crebrae, tum quod per ſe hoc ineptum ſit, tum quod nemini illud, quod non intelligitur, probari poſſit. Sententiae orationis lumina ſunt: nihil autem obſcuro lumine eſt ſtultius. Quod enim latet et tenebroſum eſt, quidnam luminis afferet? Neque illuſtrabitur oratio ſententiarum denſitate, ſed potius obſcurabitur, tota orationis ſtructura vacillabit, neque ſpatiis ſuis recte diſtinguetur.

INDEX RERUM ET AUCTORUM PRAECIPUORUM.

A.

Bru-

Come-


Enthy-

Hue-


Purae

 vocum

Verri-






BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

